
Nordkirchen

[illegible]

[illegible] 853 [illegible]

GENII NVPTIALES.



GENII
SERENISSIMORVM PRINCIPVM
PHILIPPI WILHELMI
COMITIS PALATINI RHENI DVCIS BAVARIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ, MONTIVM, COM. IN VELDENTZ. SPONHEIM, MARCHIA RAVENSBERG, MÖRS, DÑI IN RAVENSTEIN &c.

SPONSI

ET

ANNÆ CATHARINÆ CONSTANTIÆ
AVGVSTISSIMORVM REGVM
SIGISMVNDI III. FILIÆ
VLADISLAI IV. SORORIS
POLONIÆ et SVECIÆ &c PRINCIPIS

SPONSÆ

QVOS

In nuptiali eorundem Solennitate Tria SOCIETATIS IESV Collegia DVSSELDORPIENSE, MONASTERIO-EIFFLIACVM, & MARCODVRANVM CLEMENTISSIMIS SVIS DOMINIS ET MVNIFICENTISSIMIS FVNDATORIBVS

D. C.

ANNO CIƆ IƆ CXLII

PHILIPPVS VVILHELMVS
PALATINVS RHENI
ANNA CATHARINA
CONSTANTIA
REGIS POLONIAE FILIA
CONIVGES.

GENII SERENISS.^rum PRINCIPVM IN NVPTIALI EORVNDEM SOLENNITATE OBLATI.

FElices exhibemus *Genios*, SERENISSIMI PRINCIPES, Nuptiarum veſtrarum auſpices, ſuis illos quidem *Tedis*, ſed Veſtrâ magis virtute; ſuis *Clypeis*, at Veſtrâ potius authoritate munitos. Sunt illi quidem Thalami Genialis inſtructores; ſed verecundi: mēſæ nuptialis conuiue; ſed ſobrij: Epithalamij accentores; at ſinceri: verbo, SERENISSIMIS PRINCIPIBVS digni. Ita autem Veſtram indolem, atq; ingenium referunt, vt ex antiquitate profanâ huc traducti, nil preter nomen ab illâ retineant: cetera CAROLOS, PHILIPPOS, CONSTANTIAS ita repræſentant, vt cum illis natos iure exiſtimemus, & tantorum in illis Principum ætatem videamus, ſtudia admiremur, virtutem obſeruemus. His igitur *Genijs* nemo dignum theatrum excitabit, nemo dignè loquentes aut faciet, aut audiet; niſi qui idem illis agendo tempus tribuet, quod Vos viuendo tranſmiſiſtis. Inſtruximus tamen leui, rudiq; opere pro ea, quæ noſtra eſt tenuitas, ſpectaculū aliquod; neque illa, quæ à morum elegantia ſunt ornamenta, ſcimus defutura. Veſtra hîc Indoles, Veſtra, SER.^mi PRINCIPES, virtus ſpectabitur: nos vmbram, ac lineamenta ſolùm, Vos certos ac natiuos virtuti colores, gratiam ac vitā dabitis; immò iam nunc dediſtis, atque egiſtis, ſpectante atque applaudente Europa vniuerſa: nos breuem tantùm, rudemque periochen adornamus vitæ à Vobis (quæ publica quædam eſt actio) cum laude tranſactæ. Et ita quidem, vt

Primùm Vos ipſos, ſiue *Genios* illos Veſtros, in quin-

que ætatis partibus, velut totidem ſcenis, omnem explentes numerum, redhibeamus: Et in CAROLO FRIDERICO, heu! olim tantùm oſtenſo: nunc verò in Te SER.[me] PRINCEPS PHILIPPE, quodammodo reſtituto, ſpes antiquas patriæ inſtauratas demonſtremus.

Deinde fulgidiſſimis totidem virtutum *Tedis*, velut nuptiarum pronubis, Illuſtres *Genios* Veſtros producemus; ita vtrobique geminos, & omnino pares, vt à prouido Numine in hanc coniunctionem à primâ conditione Veſtrâ, quia deſtinati, etiam videamini aptati.

Poſtremum Gentilitijs Maiorum, & Veſtris inuicem, patriæ, nobilitatis, ac ſubditæ Vobis ditionis inſignibus, & *Clypeis* donatos dabimus, more à veteribus traducto, quibus ſolenne fuit Maiorum inſignibus inſcriptos *Clypeos* non funeri ſolùm; ſed & nuptiali pompæ, pro Heroum meritis & honore inferre, atq; illorum memoriam aliquam poſteritati conſecrare.

Numerum ſuggeſſit antiquitas, quæ hunc potiſſimũ ad Religionem ſuſtulit, & quinos adoleſcentes, totidem ferè *Tedas* ſponſis prælucere iuſſit. Placuit igitur cum illâ in quinario Virtutum Veſtrarũ ſubſiſtere, atque in rem præſentem, ex innumeris paucul as, tanquam ex copioſo Vere flores deligere. Antiquorum quidem mos erat, *Genij* cuiuſpiam inuocatione geniale epulum auſpicari; hinc illæ ſolennes conuiuarum preces--

Magne Geni, *cape thura libens, votisq; faueto,*
Funde merum.

Sed inanibus iſtis ſuperſtitioſæ vetuſtatis vmbris nõ adhæremus: Alios à Chriſtianâ Religione nuptiarum Præſides *Genios* (ſi quid per *Genios*, à natura cuiuſq; & indole diuerſum, intelligitur) arceſſimus. Illos ſcilicet, de quorum numero Princeps aliquis, *Tobiæ*, nil tale opinanti, lectiſsimam ſponſam in manum conuenire

uenire fecit. Non igitur Arcturum Plauti, aut Lares Flacci; non Stoicorum Heroas; nō Semideos, aut Iouis Nepotes; non ſuperſtitioſam Genialis tori cuſtodem Lucinam inducimus: *Angelos* ſolos *Genios* agnoſcimus: hos vocamus, hos *Genios* ad nuptias Veſtras inuitamus. Illi, ſi placet, & ſplendorem veſtrum nobiſcum ſpectabunt; & virtuti applaudēt: quia exulceratis hiſce temporibus, omnium animos in ſpem ſummæ felicitatis per Vos in patriam inferēdæ, excitatis. Quod quàm auidè deſiderant ſubditi; tam Vos ſollicitè à benigno DEI numine nitimini (propè dixerim meremini) impetrare. Faciet is eodem opere, & noſtro deſiderio, & Veſtro merito, cùm fuerit opportunum, plus quàm ſatis. Ita ſperamus, ita vouemus. Votum ſecundent Superi, & propitij vti Vobis, ita & nobis cœleſtes *Genij*: Vos etiam, quod ante feciſtis ſinguli, coniunctâ virtute cum ijſdem, à propitiato nobis DEO exorate, impetrate. In quo voto auſpicamur.

Felices Genij, Tedas, *dotesqúe iugales*
Iungite, coniunctum creſcet vtriqúe decus.
Virtuti ſanguis, factis genus, artibus ætas,
Forma opibus parili nupſit vtrimqúe gradu.
Singula magna quidem; ſed erunt maiora iugata:
Alter ab alterius creſcet honore magis.

PARS I.
GENIVS CAROLI FRIDERICI IN PHILIPPO VVILHELMO REDIVIVVS.

C*AROLVS FRIDERICVS*, quem in *Philippo* rediuiuum Superi nobis reddiderunt, florentiſſimæ ætatis Princeps, *VVilhelmi* Iuliæ, Cliuiæ, Montium Ducis Primogenitus, raræ indolis, miræ virtutis, omnium artium liberalium, & naturæ donorũ Illuſt.mus Iuuenis: nactus in Hercule Prodicio dignum apud poſteros pręconem. Suxerat ille pietatem ab vberibus *Mariæ Auſtriacæ* Matris; *Philippus* à *Magdalenâ Bauarâ* pari virtutis ac religionis Matre. Pueritia dehinc *Caroli* omnibus litteris & linguis tam doctè, feſtineq; imbuta eſt, quàm præcox & excellens eius erat ad plurima ingenium. Par in illâ ætate *Philippi* fuit ad omnium artiũ litterarumq; comprehenſionem indoles. Adoleſcentia deniq; *Caroli* vniuerſis Principum ſtudijs & armorum Tyrocinio exercita, à Parente ad maiora Prouinciarum negotia, & conſilia applicata fuit; ideóque in Italiam miſſus, quò præcelſam indolem multiplici rerum vſu confirmaret. Ibi eum Romæ præmatura mors, in ipſâ iuuentutis aurorâ, cum omnium Prouinciarum luctu ſuſtulit, atque in eo & improle fratre antiquiſſimam, & ab annis prope nongentis continuâ ſerie productam familiam extinxit. Hæreditas ex pacto ad ſorores deuoluta. Ex harum alterâ deſcendit *VVolfgangus* filius; inde *Philippus* non tam in *Caroli* terrarum, quàm virtutum patrimonia ſucceſſor, ſucceſſu haut minori adoleuit, felicitate etiam ſuperior *Carolo*, quòd etiamnum mereatur viuere. Ceterũ ita geminus *Carolo*, vt pari cum illo fortunâ, atque adeò naturâ videatur natus. Quâ nobis ſimilitudine vti placuit, atque illos Principum *Genios*, pulcherrimæ veluti indolis vmbras per quinque ætatum ſpatia à *Carolo* ad *Philippum*, à Principe ad Principem laudatiſſimum transferre; quos licet tenui colore, & rudibus lineis adumbremus, ſeu veriùs inumbremus, ſuaptè tamen luce adhucdum ſatis ſpectabiles, omnium in ſe oculos, & amores conuertent.

Feli-



FElices Genij, fortunatiq; iugalis
Deſignatores thalami, quibus vnica cura
Mente ſedet commiſſa, torum ſociare Serenis
Auſpiciis, hilareſque animos infundere amori.
Lætitiis immerſa dies fluit, omnia fauſtis
Incurrunt votis, quàm latè Rhenus, & Iſter
Teutonicis perlapſus agris ſua gaudia ſecum
In mare deuoluit, nullusq; immittit amores

 Merſan-

Merſandos vndis. Iam florentiſſima terra,
Imperij non parua ſalus; iam publica vulgi
Gaudia; iam multos ſpes circumducta per annos
Euentus habuêre ſuos, thalamiqúe petiti
Anxia ſoluerunt populis ſuſpiria prolis.
Ante omnes laxata comis, viduoq; parata
Syrmate diſcingi in luctum, lugubria latis
Iulia *mutauit, Sponſæq; ſimillima ſedit.*
At quò nunc hilares Paranymphi voluimur? ecce
Ex thalamo ad tumulum rapimur: ſic gaudia luctus
Occupat offuſus? rurſúmne remergimur æſtu
In veteres patriæ fluctus; funeſtaqúe vertit
Iuliacum Libitina torum, feretrumq; reponit?
Quò me, quò Genij *rapitis? quæ forma, quis error,*
Quæ rerum ſpecies oculos obnupta moratur?
Illuſtris monumenta Ducis, feraleq; magni
Corporis hoſpitium Auſonias delatus ad oras
Inſpicio: ſuper inſculptus iacet inclitus Heros:
Mygdonio viui ſpirant è marmore vultus,
Magnanimiq; calor iuuenis, quem lugubris iſthîc
Ante diem Lacheſis primâ florente iuuenta
Suſtulit. Heu! populi lachrymas, quot flebilis vrna
Hîc capit immerſas! quot non fatale ſepulchrum
Terrarum gemitus credam tumulare ſub vno
Hoc iuuenis Cippo! euerſam tenet altera tedam:
Altera colliſo manus eſt iniecta ſedili,
Incumbitq; rotæ cubitus. Sua Cliuia *forſan*
Fortunæ nimium ſimili ſignata figura
Scuta videt: tergum deîn ara erectior vrget,
Egregius pietatis honos; ſupráq; tiara
Et gladius leuiter capulo commiſſus eburno,
Pontificis munus. Vacuum thoraca reponi
Triſtis luget humus. Quid vtrimq; hîc fletibus aras
Funeſtat Virgo? gremio tenet illa moleſto
Auguſtam templi fabricam, lacrymisq; profuſis
Irrorat; magna veluti collapſa ruina
Relligio patriæ, Romæ, ſua funera fleret
Exul, & in gremio matris ſolata dolorem.
Illa caput turrita gemit, manibusq; coactis

In

In planctus, imo lamenta è pectore preſſat;
Ceu deploraret triplici redimita coronâ
Excidium totidem regnorum mœſta Virago.
Huic ſuper infudit lacrymarum flumen Amazon,
Tertia mœroris coniux, cuſtosq́ ſepulchri;
Quæ niſi me fallat mea mens præſaga, ſuprema
Spectatrix Roma eſt, tam triſti ſaucia caſu.
Hinc Cœli rorem, Rhenusq́ bicornis aquoſam
Affundunt vrnam; ceu ſuffectura dolori
Flumina non eſſent lacrymis, oculisq́ tot vndæ.
Magne Geni, *magni tumuli tutela, vigilq́*
Excubitor, cuius manes Herois in vrnâ
Auſonis hîc ſeruat tellus? an præſcia fati
Huic viuo caſtrum Lacheſis fabricata doloris,
Expectatq́ diem luctus? an funere ſoluit
Illato lachrymas, monumentaque poſthuma ſeruat
Fama, Dolorque ſibi? Quid (ait) tam ſæpe reſorbes
Spemqúe metumqúe inter gemitus? viden' aurea magni
Scuta Ducis, gentile decus, patriosqúe leones,
Sceptraque Cliuorum? iacet vltima ſanguinis iſthîc
Iulia progenies Carolus, *præreptus iniquo*
Ante diem fato; Prodico ſatis Hercule *notus.*
Indole magnanima iuuenis, ſupraqúe vigorem
Ætatis, ſpes rara domus, columenqúe, decusqúe,
Terrarumque hæres; poterat fortuna videri,
Et natura ſuas hîc conſumpſiſſe profuſas
In Duce tot dotes, quot vix Germania cenſet
Partitim in reliquis. Iacet, heu! iacet illa propago
Nobilis, & iuuenis iam florentiſſimus æuo
Carpitur in primo vitæ ſurgentis honore,
Stemmaqúe Iuliacum peregrina inuoluitur vrna.
Hîc mihi præcluſus multum ſub pectore mœror
In voces, gemitusqúe ſimul prorumpere cœpit:
Vt lachrymas inter fluerent ad buſta querelæ.
Siccíne magna Ducum ſoboles, & magna parentum
Progenies, patria potuiſti, in limine vitæ,
Emigrare domo, vitæque inquirere metas
Longiùs à nobis, citiùs rapereris vt abſens
Fatorum inuidiæ? vix delibauimus æui

 Flo-

Florentis ſuccum, Superûmq; hoc pignus amoris
Indultum patriæ; nondum tranſcenderat ætas
Bis denas cum ſole vias, anniq; recurſus;
Et tua tam præceps euoluitur orbita vitæ!
Heu nimiùm præceps ſemper fatalibus annis
Ingenium præcox! nimium rota præpetis æui
Fortunæ vicina rotæ: quàm barbara Parca,
Quæ teneros tanti iuuenis malè transfodis annos?
Quæ potuêre iræ ſic præcipitare ruentem
In ſua fata domum, ramúmque incidere ſtirpis,
Et tot majorum turbare in ſanguine ceras,
Tum, quando hæreſeos cœpit proſerpere tabes,
Et fidei ſuccum impuro miſcere veneno?
Erigere, ô exul peregrini ceſpitis vmbra,
Heroumq; animæ, & patrios circumſpice caſus;
Nondum à morte tua ſæclûm traxere dolores,
Quò ſublapſa retrò tantæ patrimonia terræ.
Quàm diuulſa iacet cum Relligione poteſtas
Iuliaci Regni? diſpar tua fata ſecuta eſt
Imperij facies, vnoq; inhumata ſepulchro
Terrarum fortuna iacet; Bellonaq; ferro
Scripta hæres, quot non enſes in viſcera regni
Demerſit, quò non flammis, & cædibus inde
A tumulo graſſata tuo? nunc collige ſtrages,
Iliademq; mali, præſens ſimul inſpice funus,
Et patriæ inferias; ſi vel tumulo oſſa ſuperſint,
Sudabunt lachrymis, oculis ſi lachryma deſit.
Iulia *væ! calido nimiùm vicina Gradiuo,*
Quam citò corripiunt incendia proxima flammis,
Cur tuus ille Leo vicino ex vngue Leonis
Sic trahitur, qui terror erat iam præda voratur?
Audijt ex Caroli *magno leuis vmbra ſepulchro*
Seu Genius *fuerit, latet vſque; ſimillima viuo*
Principis vmbra fuit. primum concuſſit ab imo
Mauſolea ſolo, tum ſculptum in marmore ſenſim,
Et dextrâ euerſo tendentem lumine tedam,
Heroëm erexit modicè, nec plura paranti
Conceſſit ſpatium; diuoq; hæc edidit ore.
Deſine quiſquis ades tumulum turbare querelis.

Sat

Sat lachrymis extracta dies, funusq́ dolorem.
Præmatura quidem tela eſt inciſa iuuentæ:
At cœlo matura fuit; nil tollitur orbi
Flebile, quod cœlo donat clementia fati;
Cui iam pacta inſons fuerat vita, indole ſemper
Præcoce ſuprà æuum, mens hic & honora iuuentus
Ex gremio voluit pietatis libera cœlo
Tranſcribi, vnde fluit fontano purior amne
Relligio. Viduam ſtirpem, patriæq́ cruentum,
Et crudum iam vulnus adhuc, populiq́ ruinam,
Et longam belli ſeriem, terrasque potenti
Hæredis ferro ſciſſas, conuulſaque ſacri
Iura foci, miſtasque nouis erroribus aras,
Et vidi, & ſi nunc ſineret placidiſsima vita,
Impluerem lachrymis: fati ſed prouidus ordo,
Mortalisque fuit ſeries innexa ſupremo
Arbitrio, abruptâ me ſtirpe, inuoluere bellis
Promeritam gentem, culpaſque retexere pœnis.
At nimiùm infœlix, nec par tot Iulia *damnis!*
Ponte ſuperſtrato cum Rhenus decolor armis,
Inuito excipiet dorſo fatale Gradiui
Agmen, in extremas incumbet terra ruinas.
At vos, ô Superi, vos ſic voluiſtis in ira.
Perrupto cuſtos ſpectabis in aggere cladem
Antoni, *cœloque globum præſage rotabis*
Igniuomum: trahet ille, trahet flagrantibus armis
Bellonam triplicem, tempeſtatemque procellis.
Sed decumanus erit fluctus: poſt ira reſidet.
Mitiùs hinc lachrymas noſtras, patriæque dolorem
Accipe. Deſcendet tandem de ſanguine noſtro
Vnica Wolfgango *ſoboles, venietque* Philippus,
Magna Palatinæ, & Boiæ data gloria genti:
Totius Europæ continget ſanguine Reges.
Inuoluit ſplendore Ducem, virtutibus æuum,
Quicquid & in noſtra fortuna floruit olim,
Demeſſumque fuit crudum, maturius illo
Patria decerpet: me tantùm fata ſaluti
Oſtendêre, illum ducet fœlicior ætas
Per vitæ meſſes, per honoros gloria curſus.

O for-

O fortunatum iuuenem, cui fata dedêre
In ſortem tranſire meam: melioribus annis
Vtere, virtutem factis extende Philippi
Belligeri, patriæque hæres accingere laudi.
Auſpicijs conſurge tuis, noritq; Vienna,
Magna Palatino veniſſe hoc nomine fata.
O fortunatos populos! queis poſt mala tandem
Parta ſalus aderit, longisq; obliuia damnis
Inducet. Nec enim quiſquam, mihi crede, nepotum
In tantum ſpe tollet auos. Hoc Matris auita,
Boiorumque poteſt pietas meruiſſe videri:
Hoc priſca decuit cum Relligione recepta
Pignus habere Patrem. Multa ille aduerſa videbit;
Qualia vix quiſquam Fidei noua caſtra ſecutus
Sanguine Iuliaco Princeps: iam funere acerbo
Præproperoq́; die rapta eſt dulciſsima coniux,
Flos pietatis, honos aulæ, vitæque leuamen.
In thalamum conſorte nouum ſeſe agmine curæ
Inijcient, aliæque ſacros, aliæque profanos
Incutient ſecum nimbos; vnaque procella
Vita foris, pariterque domi pulſata trahetur:
Sed mala tanta ſuo ſolabitur omnia nato:
Ille vel aſpectu veniet noua ſpongia curis,
Et patrium tandem renouabit ſtemma virore.
Regia Sarmaticis deſcendet Filia terris,
Splendor honorque tori, maiorque in prole voluptas.
Pulchrior in nullo quæretur ſanguis amore:
Magdalin *hâc cernes rediuiuam* Iulia *matrem.*
Quàm benè Relligio conuerſas pronuba tedas
Diriget, vt Fidei præſtent patrimonia terris.
Dixerat, & Carolo *ſe, neſcio, iunxerat, vnde,*
Aſtabatque ſimul iuuenis florentior æuo,
Qualis ab Elyſia Marcellus valle vocatus;
Forma venuſta oris, miroque exculta labore
Naturæ, tantum ſpecie, tantumque decoro
Membrorum complexa habitu, quantum hauſerit vnquam
Mortalis viſus. Procero corpore totus
Erectus Princeps, experrectique vigoris,
Spiritus emiſſus vultu, vultumque ſerenat

Semper amœna quies, & amabilis explicat aura.
Quicquid in Illuſtri potuit ſpectabile formâ
Proponi, hoc totum collecta modeſtia ſeruat.
Ni tuus ô Carole, *hîc vultus ſe oſtenderet, illum*
Hîc ego te Carolum *rediuiuum credere poſſem:*
Sic formâ, ſic ore tuo, ſic corpore finxit
Ars ſimilem diuina tibi. Quis Principis ille
Eſt habitus tam pulcher? Amor quem finxit amori?
Hiccine quem nobis promittunt fata PHILIPPVM?
Obticuit Carolus, *iuueniq́ue infuſus in vlnas,*
Amplexusq́, inter liquidas euaſit in auras.
Suſtulit euerſam rediuiuâ luce Philippus,
Acclinans leuiter tedam; dabat æthere lapſus
Ignis rurſum animam lychno, Geniȷque *miniſtri*
Inde ſuo quini ſparſerunt ordine lumen,
Tedaque quæ fuerat funalis, pronuba luxit.

VIXIT, IMO REVIXIT
In PHILIPPO CAROLVS, In CAROLO PHILIPPVS,
OPTIMI PROTOTYPI EXEMPLAR OPTIMVM.
VITAM EX PARENTE, NOBILITATEM EX SANGVINE,
VIRTVTEM AB INDOLE SVMPSIT.
DIGNITATE MAXIMIS, SVBMISSIONE PAR MINIMIS;
BENIGNVS MORIBVS, VVLTV SERENVS, ANIMO HILARIS;
TANTVM NON IPSO NOMINE CAROLVS QVIA CARVS OMNIBVS.
Eruditionem ſibi adoleſcens, Prudentiam copulauit iuuenis,
Religionem his iunxit, & Temperantiam comites:
Nunc denique ne quam ex his amitteret, Coniugem his addidit
CONSTANTIAM.

TANTO NVNC IN PRINCIPE REVIVISCIT
PATRIA,
Cui CAROLI deſiderium PHILIPPI amor ſuſtulit.
VOVEMVS, AC VIDEMVS
COELO FAVENTE, VIRTVTE AVSPICE,
SPES MAGNAS COLLAPSAS POSSE MAIORES RESVRGERE.

I. GE-

I. GENIVS SPONSI

In INFANTIA *pietate Illuſtri probatus.*

HAbet hoc vitæ tuæ ortus SERE.^me PRINCEPS, quòd tam familiæ claritudine, quàm cœli auſpicijs ſit illuſtris. Proles deerat hæres tot Prouinciarum: vnicũ ſe offerebat perfugiũ, inter anhela patriæ ſuſpiria, ad *Virginem aſperi collis*: vota ſuſpenſa ſunt è tholo, & hæredem mitis ille iam collis inter aſperam ſpem demiſit. Ibi Te *Virgo* ad magna deſtinauit, quia religioni ex complexu pietatis addixit. Naſci Te voluit ipſo *Catharinæ* feſto, quãdo docti illi fœcundiq; *Genij* preſſiùs cunas Tuas quàm vel apes Platonis, Pindariq; naſcentis labra obſederint; vel Terpſichoro Poëtæ nato luſcinia adſtiterit. Natũ ſuſcepit ex gremio *Deiparæ Magdalena*, raræ virtutis Chriſtianæ mater, & ſuccum pietatis vberiùs quã lac miſcuit, *Blancæ* & Vitâ & Voto ſimillima. Hinc tener ille tuus erga res ſacras amor, & præſtitum ſacrificantibus frequens miniſterium, tanquã præteriti laboris præmiũ, & noui inuitamẽtum prenſatum: Hinc Sacerdotum reuerentia & benè precantiũ æſtimatio, vt noctẽ inſomnem duceres, niſi ante cubitum, genuflexus à Sacerdote fauſtam apprecationem vel accepiſſes, vel extorſiſſes: Hinc illę, à vix ſexenni ad ſepulchrum Dñi ſuſceptæ in armis ſtationes, cunarũ Chriſti veneratio, & paruuli nati encomium; ſtatæ preces, conſtans tui obſeruatio, & quotidianũ morũ, & amorum examen; quibus ad pręcipuam tui curam Superos inclinaſti, vt nunc à præſenti ſubmerſionis periculo eripuerint; nunc ex alto lethaliter labenti manus ſuppoſuerint; nunc aliter ſeruârint, vt in ſpem bonumq; Patriæ & Eccleſiæ integer corpore animoq; adoleſceres. At vnicus es. Senecæ querela Te premet indulgentiæ reprehenſione. Dixerat è Concilio Patris non nemo, feliciùs patriæ proſpectum fore; ſi plures Principes natos Superi adijcerent. Fortè illo Taciti excitatus: *Non claſſes, non legiones perinde firma Imperij munimenta quàm numerum liberorum.* At quantò ſapientiùs Parens, quia Princeps erat; abundè eſſe diuinæ largitatis in vno *Philippo*; nec enim referre, quàm multi ſint filij, ſed quàm boni; pronum eſſe cum prole auctâ vitia ſpargi. Ita eſt Sapientiſſime PRINCEPS, indoles vna, in quã tota ſe Patris cura colligit, faciliùs ad eius virtutem effingitur. Sæpe amor abijcit, quæ fundit copia, & radij ſolis contractiores botrum ardentiùs excoquunt. In vno *Philippo* plures ſunt, & abunde. perinde vt in vnâ *Catharinâ Conſtantiâ*, omnes *Sigiſmundi* filiæ rediuiuæ.

Cu-



QVis plauſus referet, iactataq; vota Philippe,
Quæ tibi naſcenti vidit amata dies?
Iulia verbenas, & honoras Cliuia lauros,
Et Montes cunis myrtea ſerta dabant.
Omnia turbarat Caroli funeſta cupreſſus;
Nullus in acciſo ſtipite ramus erat.
Mœſta trahebat humus viduâ ſub ſtirpe dolores,
Et florens olim Iulia, truncus erat.
Magna Palatino Boioq; è ſanguine proles
Naſceris, atq; in te Iulia cenſet auos.
Namq; Philippe, tuâ peregrinus ab Jndole ſuccus
Non erit: agnatas truncus adoptat opes.
Hæc cunas cinxêre tuas, Ortumq; ſecuta
Gaudia: quòd patrio è germine ramus adeſt.
Gaudia ſpes aluit, virtusque in ſanguine nota,
Degeneri rarò traduce planta viret.
Soluite faſciolas, vlnisque infundite Matris,
Vt diſcat natum Magdalis eſſe ſuum.
VVolfgango, Genij, ſobolem date: Patris vt alto
Sanguine deductum nouerit eſſe genus.
Non alium ſpirare poteſt Matremqúe Patremqúe,
Quàm cuius viuax ſanguine vena calet.

GENIVS SPONSÆ

In piâ INFANTIA, *Sponſi Genio Parallelus.*

NAtus eſt *Philippus* ipſo *D. Catharinæ* feſto. Subſecuta es ANNA CATHARINA *Philippum* annis non ita multis, eodem Virginis patrocinio è cunis ſuſcepta. Illũ feſto ſuo, Te nomine conſignauit: perinde ſi iam inde nos deſtinati huius thalami auſpicia ſumere voluerit. At nihil peræq; vtriuſq; indolem ad tori conſortium præparauit, quã ſedula parentum cura, inſtillataque à pueris pietas. *Philippum VVolfgangus* & *Magdalena*: Te *Sigiſmundus* Rex Pater, & *Conſtantia* Regina mater formauit. Naſci ſolùm à tantis parentibus ſatis eſſe poterat ad virtutem: quia Poloni erãt, & Auſtriaci: à quibus illud *Flacci* tuum eſt: *Dos eſt magna parentiũ virtus.* Acceſſit tamen Matris ſingularis induſtria, cuius pietatem conſtantiùs, quàm nomen attraxiſti *Conſtantia*. De *Sigiſmundo* nihil in tam anguſtis cancellis; cuius gloriã & victorias, cum *Vladiſlao* filio Rege, ac Fratre tuo tota Europa non capit: Matrem par Sanctimoniæ fama commendat. Scimus illam quot diebus aris, & ſacris adhæſiſſe: flexo & debili poplite preces Canonicas, quod *Conſtantiæ* ſolum fuit, quouis Sacerdote conſtantiùs ſoluiſſe, ex indicto pietatis penſo. Egenos propè ſollicitiùs ſi corpus ſolùm ſpectes, quàm filios curaſſe, tum maximè, quando Vilnam fames & Varſauiam peſtis vrebat, ſupra quingentos ſuo ære & obſequio fouiſſe meminerunt; ad quorum pedes adeo tergendos ſe Regia Heroina demiſit, ciboſque manu ori ingeſſit. Pietatis ſtudia ſi collegerimus ſingula, abſolutam Chriſtianæ Reginæ vitã dederimus. Quis alius *Genius* ab illo æſtu pietatis filiæ afflari potuit, quàm qui *Philippo* à *Magdalena* pari Religionis Matre? Crediderim equidem felices Matres, has optatiſsimas è voto Religionis nuptias iam ante in cœlo pepigiſſe, quàm amor veſter, vel in arrham, vel notitiam conuenerit; iunxiſſe firmiùs, quàm vllo humano nexu colligari poſsint. Nec *Magdalena* aliam Filio Sponſam, quàm *Conſtantiam*; nec *Conſtantia* alium filiæ Sponſum, quàm *Philippum* petere potuit.

Illa decus Sophiæ, & Suadæ Catharina *medulla,*
Fortunam Sponſo fauit vtriqúe parem.
Indiciumque dedit magnum, notumqúe fauoris,
Quo, quamuis tacitus, ſe loqueretur Amor.
Naſcenti Sponſo lucem dedit illa Philippo:
Spem dedit & Sponſæ nomine Diua *ſuo.*
Quam ne de Sponſo reris Sponſæ eſſe negatam.
Iuſsit eam indicium nomen habere rei.

II.

In PVERITIA *Principis litteris excultâ commendatus.*

VIx Bullam SER.^me PRINCEPS depoſueras; cùm ætas tua in ipſo veſtibulo mãſuetioribus litteris tingi cœpit. Attraxit eas vt bibulũ colorem lana. Magnum in Principe ornamentũ eruditio, maius ad Remp. & arma præſidium; is niſi diſcat, quãdo iam penè adhuc neſcit ſe diſcere, aditus ad eã poſtmodũ difficilis eſt; perſtrepit enim aula, & hilaris libertas tetricã facilè Mineruã in angulo ſeponit: ita tamẽ magnum in Principe ingenium cum valetudine corporis committẽdum eſt, vt hæc integra conſiſtat. At facilitas illa Tua, mẽtiſq; perſpicacia periculũ hoc excluſit. Vbi vel indoles indice Magiſtrorũ digito impulſa leuiter fuit, (quos Tibi Pater lectiſſimos, vti *VVilhelmus* Dux *Carolo*, conſtituebat) ſponte ſe in arcana ſapientiæ imiſit; præripuit ingeniũ, quòd ſerus labor extundit; erexit alacritas, quod deprimit arduitas; ſecreuit iudicij maturitas, quod perturbata confundit copia. Vix pubertatis annos ingreſſus; iam politiora ſtudia, iam Poëſin, iam Eloquentiã, iam Matheſin, iam Philoſophorum, Iureconſultorum, & Theologorum præceptiones combiberas. Eò nunquã *Caroli* ingeniũ aſſurrexerat, neq; tam properè, neq; tã auidè; ardor ſiquidem illius aliquantò tardiùs ad ea ſe explicuit, quod & *Tito Manlio* & *Q. Fabio Cunctatori*, alijsque magnis viris eueniſſe accepimus. Omnia in te maturuerunt, quando in alijs cœperunt adoleſcere. Illud ſupra fidem, nõ ſupra veritatem dico: complexus es inter hæc ſtudia, & eandem ætatis metam linguas diuerſiſſimas, Gallicam, Hiſpanicam, Italicam, Latinam, politiorem Germanicã Patris *VVolfgangi* exemplo & exercitio. Has vno propemodũ pueritiæ decurſu rapuiſti, quas rari inter quinque hæc ætatis ſpatia addiſcunt. Quantũ in Principe decus, in Duce Imperij Maieſtas, poſſe omnes ferè totius Europæ Oratores ſuâ linguâ audire, & excipere? Vidimus Te Adoleſcentem exterorum Principum, & Regum Legatis circumfuſum: itaqúe cum illis commercia linguæ tractare, vt illi Te ſinguli in ſuis Prouincijs educatum conueniſſe iudicarent. Scilicet erudita ſunt ſæcula: at nunquam illuſtriora, quam in Principibus, vt in arce Sapientiæ. Ergo *Taciti* illud acclamemus: *Quæ virgo digniùs in thalamum vocatur, quàm ANNA CATHARINA CONSTANTIA, cui eruditæ Muſæ tot nomina dederunt, quot linguas callet,* Tibi tam ſuppar artibus, quam pietate.



E St locus ad Rheni flexus, vbi propter amœnas
Vallis aquas variâ fronde coronat humum:
Aulicus hic Fidicen citharam explorabat; & ecce,
Increpuit docto chorda animata ſono.
Audijt hoc Siren, ramo Philomela propinquo,
Et ſimul arguto reddidit ore ſonum.
Senſit auem Fidicen prolectis cantibus vri,
Et totâ Citharæ percutit arte tonos.
Acceptum regerit liquidoq; reciprocat ore
Illa ſonum, & parili ſublegit arte melos.
Ille modos variat digitis; hæc gutture reddit.
Et noua lucta fuit carmen iniſſe nouum.
Neuter in hac luctâ voluit permittere palmam,
Hic viſus neruis: Illa valere ſono.
Et Tua mi PRINCEPS, vbi Muſæ eſt incita plectro
Natura, explicuit grande laboris opus.
Vix ætas cunis, teneriſquè emerſerat annis,
Et rapis ingenio præcoce quæque tuo.
Tot linguis pariter loqueris, Muſisq; diſertis
Iam puer, in canis quot toga rara comis.
Vt ſemel incubuit, natura accenditur arte,
Fœcundosq; animos elicuiſſe ſat eſt.

Jn PVERITIA *litteris imbutâ Sponſi Genio Parallelus.*

CONSTANTIA es, quia fortis, magnanima, regia, pia: CATHARINA non eris, niſi dulcem, & eruditum litterarum ſuccum pietati miſcueris. Doctas virgines omnis mundi ætas habuit, pari litterarum ac virtutum gloriâ illuſtres, plus ſcientiæ, quàm muliebri cultu ornatas. Et modo feruida ſunt religione ſæcula, non minùs eruditione conſpicua in vtroque ſexu: tam in Gynæceis, quàm Gymnaſijs ſenſit Eccleſia præſidium, aula ornamentum, familia prudentiam. Inter eruditas Regum filias Te etiam cenſemus *Anna Catharina*, hũc florem lactis *Diua* cum nomine affudit. Linguis tribus diſerta affluis, Germanicâ, Polonicâ, Latinâ. Ita ſuis tribus *Blæſilla* olim, & *Paula* quatuor prompta erat. *Pulchrum*, dixit *Menander*, *eſſe mulieris bonos mores inſpicere*, credo & facundiam audire.

Amœnum hoc temperamentum eſt, in modeſtiæ mixtura. Has linguas ab incunabulis eâ ingenij facilitate arripuiſti, quâ *Philippus* Hiſpanicam, Italicam, Gallicam, & Latinam. Itané mihi perſuaſero, doctum illum à teneris thalamum inter vos ornari cœptũ, alter vt alterius amorem iam ante ſcientijs illigârit; quàm arrha deſtinata ſit: priùs dos litterarum, quàm diuitiarum; citiùs dotes, quã opes; matrimonium, quàm patrimoniũ conuenerint? Fruere nunc, politiſſima Regis nata, polito Principis alloquio: quàm multiplex vtriq; ingenium eſt, tam fœcundum delitijs pectus erit. Nexum hunc quem tam amabili litterarum commercio iunxiſtis, non niſi ſerum vobis ſenium diſſoluat.

Jngenio Wilhelme, *tuo ſi fingere poſſes*
Sponſam, non alia hæc, quàm Catharina *foret.*
Tam facili tecum contendit mente per artes;
Quàm facili mores indole vena trahit.
Si quid habet veri notiſſima fabula vulgo,
Hæc Philomela *fuit, Tu* Citharædus *eras.*
Omnia cùm doctè facias, ſapienter amaſti;
Cœcus amor doctâ ex coniuge lumen habet.

In ADOLESCENTIA *Equeſtribus ſtudiis exercitâ ſpectatus.*

PVeritiæ ſuccedit Adoleſcentia paulò firmiore ætatis gradu; ſed lubrico ſæpenumero licentiæ pede, niſi ad otia molliter conſidentē liberalibus exercitijs abducas. Paucorum inter gentes ita diſciplina iacuit protrita, vt hanc vitę partē adoleſcētiæ ſine puluere indulſerint. Ægyptij ſuos curſu, Athenienſes remis impellendis, Indi iaculis, Baleares fundâ, Gothi arenâ gladiatoriâ exercebāt. Romana palęſtra ſaltu, diſco, lucta, gladio, equo, decurſu continuo ſudabat. Tyrocinia hæc erant ludicra, neceſſaria tamē Reip. exercitia. Audiuiſti hoc de *Conſtantino Magno*, *Theodoſio*, *Carolo*, filios illi ſuos equis, armis, velitationibus ſenſim ad ſuas virtutes attollebant. *Octauius Auguſtus* nepotes ex filia *Cajum*, *Lucium* & *Agrippam* ipſe natare, legere, ſcribere, equitare per ſe docebat. Id de *VVilhelmo Caroli* Patre Hercules. Ipſe frequenter tyronem exercuit equitando, & militaria progymnaſmata tradidit; ætas adoleſcentis non niſi corporis exercitatio & armorum tyrocinium erat; nihilq; in florente Principe viſum illuſtrius, quàm morum elegantia, & in ludis nobilium, campeſtrique decurſu agilitas. Hæc in Te *Philippe*, & in Patre Tuo *VVolfgango* multò habemus cōſpectiùs. Quoties ille hîc in eadem *Caroli* ad *Düſſelam* palæſtra, magnum *Æmilium* Imperatorē imitatus, Te filium ſuum equo exercuit? Cogitabas tunc illud *Carneadis: Nullam artem à Regibus aptiùs tractari, quàm equitandi ſolertiam.* Ludicrum ergo pugilem egiſti, vt equeſtrē Te heroëm oſtenderes: ſub vmbone ſudaſti, vt militē Te probares: equitem exercuiſti, vt Nobilitatis Principem in Te videremus. Primam palmam ex arena ludicra virtus attollit, in qua nec Tibi in *Carolo* parem, nec in Gymnade ſuperiorem vidimus, & in domito non vno Bucephalo penè Alexandrum: ſi haſta ſub volucri equo annulo traijcienda, ſi ſclopo in ſcopum eundum, ſi telum fixo deſtinandum ictu:

Certo mentiri neſcius ictu.

Cambyſes es, & *Bullionio* peritia accenſendus, qui terra Sancta armis ſuis repetita adeò ſagitta promptus erat, vt vno ictu tres volucres ex aëre lapſu ſuo exciperet. Si equus Tibi inſiliēdus læuâ, dextrâ, inermi, armato, ex æquo aut iniquo, Perſam Te conſpeximus. Stapedes pede radis, frænum digito, equum libramēto ab onere ſoluis. Alexandrū ille ſuum nouit, quia *Philippus* es. Pari peritia artes virginis, è regali gynæceo *Annam Catharinam Conſtantiam*, qua Te è Principum ſtadio ſequuntur. *Prom-*

PROMPTA EST SOLERTIA IACTV.



QVid iuuat ingenium, ſi deſeris arte labores?
Maſſa quid argenti lima niſi apta terat?
Quot tibi ſunt dotes ſpecioſo in corpore Princeps,
Tot ſibi commiſſas occupat vſus opes.
Si gæſum, ſtrictusq́ue enſis, ſi miſsile telum
Martis opem poſcat, dextera prompta micat.
In curſu, ſaltu, luctis, vmbone, ſariſſa,
Auctolicus palmas, Patrobiuſque dabit:
Si mittenda pila eſt incuſſo verbere palmæ,
Nouit ad obſequium miſſa redire manus.
Quo ſecunque agitat prompta eſt ſolertia iactu.
Dextra pugil, curſor pes ruit, arte pari.
Nubibus ex ipſis volucres excepit Ilerdes,
Et Cyani præda hæc dexteritate fuit.
Quam cernis dextro magis arcu eſt miſſa ſagitta,
Quæ volucres raptu tres ſimul vna tulit.
Prompta venit neruo, & gnaro ſolertia iactu,
Quam tua cum fixo dextera pacta ſcopo eſt.
Certior eſt, ſerto ſi tranſmittenda ſit haſta;
Nec facilè anteuolat calce citatus equus:
Quippe Philippus amans es equi domitorque, decuſq;
Hippodromi, Cirnus cui ſua fræna dedit.

In excultâ artibus ADOLESCENTIA *ſponſi Genio Parallelus.*

AEtas tua, ANNA CATHARINA CONSTANTIA, eodem cũ *Philippo* gradu ad hunc vitæ curſum venit. Cæterũ *Conſtantia*, hîc *Catharina* es potiùs, vnâ arte in aliã prouecta. Vbi veſtibulũ ætatis virguncula egreſſa es, quâ morũ elegantia, ſexus vrbanitate, alloquij dulcedine, virginũ peritia, virtutum ornatu, non fuiſti exculta? Nihil conceſſiſti Principi, niſi ſexum & nomen. Aula paterna pietatis ſchola fuit, Gynæceum artiũ palæſtra, labor caſtimoniæ præſidium, tela religionis anathema. Scilicet manum, quã Mater ſecum obſequijs miſerorũ aſſuefecerat, etiã puellari artificio deſtrinxit. Vbi ingenioſa acus textile opus pinxerat: labores modeſto cultui, aut templorum ornatui conſecrabas. Feciſti id domeſtico tuarũ exemplo. Quæ Polona, vel Auſtriaca non monumẽtum ſui ſtaminis in veſtiario ſacro reliquit? celebris in hoc pietatis exercitio *Anna Matthiæ* Imperatoris cõiux *Ferdinandi* Tyrolenſis filia. *Anna Maximiliani II.* Imp. filia, *Philippi III.* Hiſpaniarũ Regis mater. *Maria* auia tua, Bauara & hæreſeos victrix Heroina. *Anna* matertera tua, eademque pijſsima *Sigiſmundi* Patris coniux, *Vladiſlai* Regis & fratris mater, cuius memoriã omnis ętas inter Chriſtianas Reginas ſeruabit. HAS vel cognomines ex propinquo ſanguine tibi propoſueris. Nihil hîc infra Regiam dignitatem manu regiâ ſtamen obijſſe, aut ſubtemina in alueolis fuſa conuoluiſſe. *Auguſtus Cæſar* & *Carolus Magnus* filias & neptes inter licia & tramã videre ſe gauiſi ſunt. Quanta *Giſalæ* Reginæ Vngariæ ſororiſq; *Henrici* Imperatoris laus. Quãta *Iſabellæ Ferdinandi* Hiſpaniarum Regis, & *Mauritiæ Conſalui Magni* vxoris gloria apud poſteros extat, manibus ſuis ſacras veſtes texuiſſe, & digitum reticulatis commiſſuris induxiſſe? Eadẽ te pietas à flexili æuo exercuit. Id ſupereſt: ea à nobis coronis exſpectatur, vt ſtragulum cunale aliquando pertexas, quale *Leonoræ Friderici III.* Imperatoris ex auro gemmiſq; intertextum Veneti obtulêre.

Ite manus teneræ, doctas pertexite telas;
Dædala quas Phrygio ſtamine fingat acus.
Ite manus; primusque labor ſit ſtragula veſtis:
Ornabit thalamos ſtragula tela tuos:
Ite manus: alterque labor ſit ſtragula veſtis,
Ornabit cunas forſitan illa tuas.
Laudamus ſtudium; ſed deſpicis. Illa placebit
Laus tibi, quam dicent virquée puerquée tuus.

IV. GENIVS SPONSI
In IVVENTVTE *Conſilijs maturè applicatâ ſuſpiciendus.*

PAradoxon inclamas: Iuuentutem in conſiliorum receſſus, & Senatum admitti.

A ſenibus nomen mite Senatus habet.

Conſiliorum laus & ornamentum ſenum eſt peritia. At ſæpe ætatem anteuertit ſapientia, & præcox in iuuene ingeniũ ſenibus præripit. Adleguntur ſæpe iuuenes in Legatorum ſocietatẽ, & laudem ferunt prudẽtiæ: Magiſtratũ ineunt, & fructũ ſentiunt Reſpublicæ: etiã exercitus ducunt, applaudit victoria. Quanta in *Africano* ætas Hiſpaniã ingredienti? Quanta in *Pompeio* cõtra *Mithridatem* mouente? Quanta in *Carolo V.* totius Europæ imperiũ capeſſẽte? Quãta in *Ioanne Auſtriaco* ad Naupactum triumphante? *Pauli Aemilij* patrocinium habemus: *Imperatorem moribus, ſi non ætate, ſenem eſſe poſſe.* Domeſticum in *Carolo* noſtro exemplum inſtar omnium ſit. Quorſum ille à parente biennium in aula *Maximiliani* Imperatoris auunculi ſui ſubſiſtere iuſſus? Non tam vt palatium, quàm vt imperij conſilia inſpiceret. Eòdem Te *VVolfgangus* Pater ablegauit, ad *Ferdinandum* II. & III. Conſobrinum tuum. Quâ mente? vt coram intuereris, quantâ ſapiẽtiâ vaſtam illam Germaniæ molẽ, bellis vndique concuſſam, & ſede ſuâ conuulſã Imperatores conſanguinei librarent. Cœli machinam conuerſioneſq; orbium nemo melius, quam qui propius luſtrat: hæc Te nimirum in arce hac orbis cõſtitutum latere non poterant. Arcana Iouis nemo clariùs, quàm in diphthera videt: ex illa tu multa ſapienter contẽplatus es. Videlicet hàc tibi eundum fuerat cũ ad magna properares. Maturæ ad omnia virtutis ac capaciſſimæ tuæ indolis vti ducem, ſic & arbitrũ habuiſti *Ferdinandum* III. quẽ vt *Ferdinandus* Magnus magnũ poſt ſe relinqueret, à puero in penetrale arcanorum introduxit. Vnde nũc vberes illi ſapientiæ riui, qui fœcunda diluuie orbẽ inundant. Hinc vox à *Ferdinando* II. audiri poterat, quæ olim à *Philippo* Macedonũ Rege: *hilarem ſe nunc è vita emitti, non eijci inuitum, quando filium poſt ſe maiorem relinqueret.* Id vt de te lætè dicat *VVolfgangus*, ſerò dicat optamus. Quando talem tibi Sponſam obtigiſſe videt, quæ in nullo tibi intra ſexus ſui limites & ætatis gradus concedit: vbi ita Te aulæ excultũ conſilijs, illam œconomiæ prudentia animaduertit excellere, vt altera aliquãdo manu parentis ætatem ſuſtinere, altera Principis in Te viri dignitatem poſſis defendere.

SATIS EST VEL RIMA SAGACI.



Magne Geni, Magni iuuat hîc diſcludere pectus
Principis; vna, putas, rima ſat eſſe poteſt?
Hactenus in ſtadio decurrit ludicra virtus:
Iam dignum Proauis laxat adulta virum.
Namquè vbi permiſit iuuenile capacibus annis
Ingenium, ætatem præripit ipſe ſuam.
Scilicet hæc magnâ ſpectatur ab indole meſſis,
Vt ferat æſtatem ver vbi Chloris habet.
Et præmaturè precias ſol excoquit vuas,
Æſtus vbi vites, & calor vrget agros.
Et ſunt ingenij fructus, quos æthere lapſus
Ignis maturat, ſpiritibusquè coquit.
His cùm vel radius rimis infunditur, ignis
Erumpit, nec iam pectora flamma capit.
Cyrus, Alexander, Pompeius, Scipio, Craſſus,
Imperio iuuenes regna tulêre ſuo.
Plurima quid memorem? Tua me præferuida virtus
In iuuene hîc ſiſtit nacta Philippe, virum.
Nam poſtquam præceps annis penetralia magni
Cæſaris ingreſſus conciliumq; Patris.
Quam non complexus rerum ſeriemquè ſtatumquè es?
Plurima cùm videas, rima ſat vna Tibi eſt.

In IVVENTVTE *œconomicâ prouidentiâ ſponſi Genio parallelus.*

MAgnum Principi ſubſidium ſortiri coniugẽ œconomiâ præcellentem. Menandrum hîc audio: *Bona Materfamilias eſt domus.* Et Laërtiũ: *Domui qui præeſt rectè, Reipub: dignus eſt.* Id conjugis ope præſtat Princeps eò meliùs, quò fideliùs. Principem publica moleſtiùs ſæpe diſtinent & retinent. Supplet coniux prouida, attenta, induſtria, vigil. *Philippus* niſi *Magdalenam* reuocet, non aliam facilè parem *Annæ Catharinæ* prudentiâ œconomiæ adminiſtram repererit. Pari ſtudio ætas tua, *Catharina*, cum *Philippo* hîc adoleuit. Vbi Ille aulis Principum, cõſilijs & imperijs tractandis ſe dedit. Tu ingenium ad domeſticum regimen laxaſti: ocia virginũ priuatarum ad negotia, prudentiam ad œconomiam traduxiſti. Lumen habuiſti à natura magnum, quod ſine arte & vſu ſatis eſſe poterat. Acceſſit Reginæ Matris exemplum, quam vidiſti regiæ aulæ admirabili prudentia & pietate moderantem. Spectaſti opibus affluentem; cultu tamen modeſtam. Regio ſplendore circumfuſam; egenis tamen & laceris curas, & manus ſuas impertientem. Ita ſe ad omnia porrexerat Chriſtiana MATERFAMILIAS. Inde Dei largitas in *Polonicam domum* & Filiam ſuam vnicam profuſè reuoluta eſt, quæ tot non minùs virtutum ornamentis, quàm opum affluentia diuitẽ Te theſauri, *Philippo* tradidit. Et verò dotem DEVS ei filiæ deeſſe paſſus eſſet, cuius Mater tot virginum pudicitiam, *S. Nicolai* exẽplo, auro & dote ſubmiſſa ſeruauit, pauperes per Sacerdotes ad ſtipem paſſim ex vicis cõquiſiuit, in eos effuſa maximè, quos pudor honeſtæ familiæ magis ſæpè, quam fames vrgebat? Felix *Iulia* in ea belli calamitate tali rectrice ſua. Petita eſt Religio in thalamum; ecce omnis humana felicitas cũ Regis filia ſe coniunxit; familię ſplendor, opes Regiæ, vectigales prouinciæ. Hoc Chriſtianum fuit, quærere primùm Regnum DEI; reliqua Superi affatim adiecerunt. Et prolem dabunt; nec vota noſtra vltrò extendi poterunt.

Te quondam in cunis Genitrix ſolertia fouit,
Et nutrix pietas, aſſiduusq; labor.
Hinc trahis ingenium, creſcitq; domeſtica cura,
Et tibi de totâ nil perit arte domus.
Virgo ætate quidem es; tamen es ſimul indole Mater:
Non poteras tanto dignior eſſe viro.
Creſce, tibi ſimilemque feras, Conſtantia, *prolem,*
Et virtutis eris nomine, req; parens.

In VIRILI ÆTATE *virtutibus Principis illuſtri ſpectatus.*

VIdimus nuptialem apparatum non Principe tantùm; ſed & Rege dignum, Epulum, Thalamum, Nobilitatis concurſus, Procerum accubitus, Iuuentutis equeſtria certamina. Vbi comœdia nuptialis? Ecce iam quintùm *Genius* procedit; ſpectamus auidè, & cùm hæc ſint maxima, nunquid maiora exſpectamus? Iucundiores immò ſcenas nobis Tuæ Virtutes dabunt. Siſte paulisper, & Virum Te in virili *Genio* contemplemur: verecundia poſt ſiparium ſit. Viri nomen *S. Auguſtinus* à virtute traduxit, in eoque nihil fluxum, nihil enerue patitur. Nec verò vidit in Te quiſquam. Eſt in Te majeſtas Principis, matura auctoritas, comis humanitas, affabilis manſuetudo, compoſita vrbanitas, æqua iuſtitia, hilaris modeſtia, præcelſa fortitudo, feruida pietas, Germana fides, Auſtriaca clementia, Boica prudentia, Palatina celſitudo, infractus animus, circumſpectus oculus, ſerena conſcientia, auita religio; verbo, virtutum chorus. Cætera quæ familiæ ſunt decora,

------------*Et quæ non fecimus ipſi*
Vix ea noſtra puto.

Hæc Tua ſunt, & Principe Chriſtiano digna: hos fructus virilis ætas tulit; ſemina eius vidimus in infantiâ, ſurculos in pueritiâ, gemmas in adoleſcentiâ, flores in iuuentute. Nunc fructus maturos decerpimus. Conſtitue Te nunc extra ſanguinis lineam, & hæreditatis iura: tum his virtutibus tuis in Prouinciarum comitia ingredere, in quibus ſi de Principe aliquo eligendo ageretur, non alium quàm Te depoſcerent. Collige voces publicæ acclamationis, obſides de te iudicij: audies iam præterito tantiſper ſtemmate Tuo: Optimum quemque electio inuenit: naſci à Principibus fortuitum eſt, nec vltrò æſtimatur. Ex ſolis virtutibus cooptandi iudicium integrum conſiſtit. Quàm nunc lætari poteſt Pater de tanto Filio ſuo, quem ea ætate, moribus, ingenio, virtutibus, fauore omnium Principum, & amore totius Germaniæ adeò prouectum videt? *Fabij* illud in Senatu Romano, iam *VVolfgangi* eſt in Prouinciarum congreſſu: *Quam arborem conſeuiſſet, ſub ea legere alium fructum indignum eſſe.*

------------*Illa deinceps*
Creſcet occulto velut arbor æuo.

Iam

JAM IVVENIS; IAM VIR; IAM ME FORMO-ſior ipſo.



NAiades huc Rheni, Dryadeſq; ex montibus altis,
Huc & Hamadryades, Iuliacæq; Deæ.
Cernitis hæc patriis vt floreat arbor in hortis?
Quàm fortunatis Iulia *diues agris?*
Arbor amœna ſitu; foliis argentea; fructu
Aurea; radices gemmea fibra trahit.
Si Daphne, ſi Smyrna iterùm, ſi florida Myrrha
Indueret viridi ſæcula fronde ſua:
Jam laurus; jam myrrha arens; iam flaccida ſtaret
Morus, & exſuccâ fronde inhonora cedrus.
Cùm primùm teneras infans eſt fuſus in auras;
Aurea tunc ætas prima propago fuit.
Succeſſit feſtina dies puerilibus annis,
Aureus & tradux ſurculus inde ſatus:
Poſt pueri metas, Adoleſcens induit æuum;
Aurea tum viſa eſt gemma virere ſimul.
Excipit hoc æuum florens virtute Iuuenta;
Aureus & viſus flos aperire ſinus.
Aurea ſic tandem properè maturuit ætas,
Aureus & fructus, flore ſecutus adeſt.
Iam iuuenis, iam vir; iam Te formoſior ipſo,
Tota incluſa auro eſt vita Philippe, *Tua.*

In NVBILI ÆTATE *Sponſi Genio Parallelus.*

QVo iure, *Philippe*, illud Ouidij in exactâ virtutum ætate Tuum eſt:

Iam iuuenis; iam vir; iam me formoſior ipſo;

illo ſibi *Anna Catharina Conſtantia* illud Virgilij vendicat:

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Matura ſiquidem eſt Regia filia non ætate tantùm, ſed & pietate: vti honoribus; ita & moribus: tam dote; quàm arte: tam diuitijs; quàm litterarum delicijs: tam arrhâ; quàm œconomiæ prudentiâ. Filia abunde dotata eſt, ſi morata eſt: diues, ſi ſapiens: fortunata, ſi pia: fœcunda, ſi religione feruida, quę ſuos inſtar filiorum habet. Ita habes hæc omnia, *Sereniſſime Princeps* in *Anna Catharina* Poloniæ gemmâ, vt, cui doti priùs amorem tuum, atq; animi colliqueſcentis partem infuderis, neſcias. Indole placida eſt, ſuauis, humana, mitis, moribus dulcis, alloquio affabilis, ingenio perſpicax, litteris polita, linguis facunda, animo excelſa, ſanguine Regia, ſtemmate Polona, domo Auſtriaca, aſpectu amœna, ſpecie pulcherrima, habitu totius corporis formoſa, vitæ innocentiâ limpida. Eo demum virtutum omnium, modeſtiæ, pietatis, pudicitiæ, religionis, caritatis, beneuolentiæ & manſuetudinis ornatu, vt eo te propiore, quā ſanguinis propinquitate, aut generis claritudine contingat. Felicē ſe *Ælius* Romanus adoleſcens olim æſtimabat, quando *Beatricem* vnicam *Theodorici* Cliuiæ Principis filiam, naui ſua Ælia excipiebat: quantò ſors Tua beatior in *Catharina* vnica Regis Poloniæ Filia, in qua religio vera *Beatricem*, pudicitia *Lucretiam*, pulchritudo *Iſabellam*, amor *Sanctiam*, artes *Eudociam*, virtutes *Pulcheriam*, fides & pietas *Conſtantiam* matrem rediuiuam cenſent?

Candida ſimplicitas Tecum nupſiſſe Philippo
Creditur, & Tecum nubilis ipſa Themis.
Ipſa etiam pietas nupſit cum Virgine Virgo,
Mater & in thalamis vult ſimul eſſe tuis.
Virtutes reliquæ Tecum, Conſtantia, *nubent,*
Et Te fœcundam quis fore, Virgo, neget?
Fœdera non miror: virtuti eſt addita virtus.
Tot, mirum eſt, vni nubere poſſe viro.

GENII SERENISS.rum PRINCIPVM VARIIS VIRTVTVM TEDIS ILLVSTRES EXHIBENTVR.

BEnè eſt, SERENISSIMI PRINCIPES; excitaſtis, nondum ſatiaſtis ſpectantiũ appetentiam. Omnis vos Orcheſtra reſpicit, theatrum exſpectat. Si reditis, actum quidem agitis, quia vobis Conſtatis; ſed ſine nauſeâ, & ſummo noſtro cum fructu. Quare Sereniſſimis Illuſtriſſimiſque virtutum veſtrarum tedis, aſpectantium populorum oculos animoſq; quod feciſtis, & facitis, oblectate. Hoc gratius fuit ſpectaculum, quò conſtantiùs alienæ laudis nihil indigi, eaſdem ipſi ad maiorem veſtri commendationem hiſce nuptijs, & ad æmulationem bonis omnibus præluxiſtis. Lux illa Veſtra merito ſuauiſſimè omnes affecerit; cui ſi nos modo vmbram verbis adijcimus, fiet id præter meritùm Veſtrum, & noſtrum votum: ſperamus tamen, immò ſcimus (quæ virtutis Veſtræ claritas eſt) futurum, vt illius lux, ſit maior in vmbrâ, omnibus grata, omnibus ſpectata, quæ errantes reuocat, dubios dirigit, afflictis lucet, obſcuros illuſtrat, claros reddit clariores, omnibus ex æquo prompta, & nunc, à geminâ face profecta, ſuauiſſime in vnum coaleſcit.

Quando Facem in cœli defert Capitolia Titan,
Lætitiâ populus mundi vtriuſq; fremit:
Ecce facem geminam noſtris in finibus ortam,
Cauſſam lætitiæ quis neget eſſe datam?

I. GE-

I. GENIVS SPONSI
Teda *Religionis conſpicuus.*

PAtrocinium Religionis apprimè noueras, SERENIS.^me PRINCEPS, firmamentum eſſe Regionum. Quis enim Princeps Chriſtianus fortiùs ſtetit in vllo munimine, quàm in propitio Numine, à quo

-------------Condita pergunt
Ordine quæq; ſuo, rerumq; à Principe curſu
Fixa manent?

Si diſcordiæ ſopiendæ; Religionem arbitram interpone: Si turbæ exortæ ſint comprimendæ; ſcutum à Religione ſume: ſi Prouinciæ in fide continendæ; Religioni aſtringantur: adeò hîc religantem & Religioſum eſſe fas eſt. Illa namque

Compoſitum ius faſq; animi, ſanctoſquè receſſus
Mentis amat.------


Sed pietas iungenda comes, ſatelles probitas. Potens Orator eſt Principum vita, cuius non tantùm dicta factaque rumor: ſed & oculus popularis excipit.

----Componitur orbis
Regis ad exemplum.

Eneruat plebem ſoluta regentium licentia: compeſcit improbos ſpectata in Principe pietas. Opes & fortunam tunicam eſſe puta cũ *Apuleio*, concinnam quidem: ſed fluxam, niſi religione adſtringas. Quo malo diſcerptæ tot in Europa Prouinciæ, niſi Rectorum malè diſcincta vita, qui vel Arij improbitate audaces, Chriſti purpuram concerpſerunt: vel ex magna fortuna ſummam vſurparunt licentiam? Datus es, *Philippe*, patriæ adhuc ſauciæ: vulnera multa nondũ obducta vides. Sed iam experti ſumus in Te, nulla re multitudinem efficaciùs regi, quàm Religione. Inſiſtis Parentum veſtigijs, & afflatam maiore numine mentem ad auitam fidem applicuiſti. Nulla virtus, à puero tam fidelis iuxta ac illuſtris tibi adhæſit, quàm Religio, quia princeps eſt cæterarum. Tenera eſt in Te; quia ex pijſſimæ Matris complexu, ac gremio: conſtans; quia ad Patris exemplum firmata: conſpicua: quia Tua eſt: pellucida; quia ex diluta conſciẽtiæ Cryſtallo. Catholici hîc Principis imaginẽ ex Tuis lineamentis depingere volebam: at ſuffuſus pudore ſanguis Tuus, omnes in vultu colores gratiſſimo nobis omnibus vtiliſſimoque ſpectaculo, turbabat.

Dirigit

DIRIGIT ILLA RATEM.



*V*Idiſſe, Princeps, *fluctiuagũ mare*
Imo refuſum gurgite, patriam
Vidiſſe noſtram eſt, æſtuoſis
Sollicitudinibus volutam.
Aut turbo vulgi ſeditionibus
Collidit vrbes; aut furor impete
Præceps per arma turbulentos
Incitat: vna aliam procella
Inuoluit. Ah! quæ prouida Numinis
Componet æſtus cura, quis arbiter
Reiunget iras diſsidentûm,
Deinde modum ſtatuet procellis?
Quid bella crudo vulnere, quid manus
Armata Martis, Mœnapijs agris
Immerſa? Quo tandem Sicamber
Proruat hac ſerie malorum?
Fruſtra tot annis naufraga littori
Adnare pacis patria nititur.
Atræq; circùm noctis vmbræ
Omnem aditum timidæ coronāt.

Te noſtra ſpectant hactenus irrita
Philippe, *tandem vota: Tuâ manu*
Sperat leuari, fluctibusq;
Preſſa diu redimi phaſelus.
An non benigno Numine ſupplices
Reſpexit æther? Porrige, Iulia
Iam læta frontem, voſq; Montes
Per medias caput eleuate
Belli procellas. Sit licet eminus,
Portus pateſcit: nec via conditur
Adhuc tenebris. O Philippe,
Nauifragæ Pharus *alta Cymbæ,*
Tedam auſpicatò tollis, & arduo
Latè intuendam conſtituis loco.
Portum obtinebit ſi ſequatur,
Quò radius tuus ille ducit.
Sic naufragantes, conſpicui in Pharo
Ignes carinas fluctibus inuident,
Pontoq; luctatas iniquo
In placidâ ſtatuunt arenâ.

GENIVS SPONSÆ
Simili TEDA *illuſtris.*

Regna & Imperia quantum viris,tantum fœminis debet in Religionis negotio. Infractior quidem ſexus ad Rempublicã;potens tamen,vbi cœlitus feruor afflatus naturam ſupra vires extulit. Quot regiones adiectæ ſunt Eccleſiæ Reginarum ardore? Erexit Imperiũ *Helena*: Perſiam *Cæſarea* ad fidem traduxit: Galliam *Theodelinda*: Franciam *Clotildis*: Hiſpaniam *Vndegunda*: Angliam *Margaretha*: Vngariam *Giſela*: Poloniam *Bamburca*: Germaniam *Ethelberga*: aliæ aliò aut Religionem intulerunt; aut conſeruarunt pari laude. Ne longiùs hîc abeam, conſiſte in Auiâ, & Matre Tua. Hæc nunquam animaduerſa magis *Conſtantia*, quàm in Fidei propugnaculo. Turbarat Vilnæ diris, & inſolentiâ ſupplicationem publicam è Caluini foro rabula. Illa abſente Rege, vindicẽ gladiũ nefarij iugulo immitti mãdauit. Hauſerat hos generoſos ſpiritus à *Mariâ* matre ſua; Vna hæc Auſtriam àb hæreſi ſeruauit: interim quæ inſidiæ & conflictus? vrgebatur neſcio quid in conſilio pro ſectæ libertate. Tũ illa palam: *Malle ſe filios corbe doſſuariâ impoſitos exceptoſq; in Bauariam reportare.* Et tamen hæc Chriſtiana mater tum præter filios numerabat filias nouem. Tam etiam generoſum *Sigiſmundi* Patris Tui reſponſum fuit, altero *Theodoſij* ore exceptum, contra Pſeudoepiſcopos Coſaccorum: *Mori ſe malle quàm bona & libertatem Romanæ Eccleſiæ imminutam videre.* Vides,vt

-- Nunquam libertas pulchrior extat,
Quam ſub Rege pio ----

Hos æmulata *Magdalena Philippi* Mater,idque extremo è fatali lecto ſatis teſtata,quando *Philippum* ad ſe accerſijt,ſanctéq; ſibi promittere voluit,non aliã ſe ducturũ, quàm Catholicã, in qua maius Religio,quàm opes & potentia munimen haberet. Siquidem ferrũ tuetur Principem,meliùs fides. Modò vota ſua habet, & Te *Conſtantiam* ex ſuo & Auſtriaco ſanguine, filio iunctam lætatur.

Auſtriacus ſanguis,ſanguis pietatis,& vno
Lacte ſimul potus, Relligionis amor.
Anna *putas* Catharina *ſuo te nomine fruſtra*
Dixerit,& cunas ſparſerit imbre ſuo?
Hæc & Wilhelmi *cunis præſedit,& vlnis*
Suſtulit,& nato lac Dea prima dedit.
Credite tum Vobis pepigit ſponſalia lacte,
Creuit ab vberibus,nunc adoleuit amor.

II.

II. GENIVS SPONSI

Teda *Prudentiæ inſtructus.*

MAgno Imperio dixit nonnemo magnas ineſſe curas: tenebras, addo, ſæpe maiores; niſi lumē à prudentiæ Teda accipiat. Agnoſcis virtutum rectriçem, ducem vitæ, fœlicitatis auſpicem. Sapiens etiam fortunam ſibi fingit. Hæc Te in ſago & togâ amplexa eſt virtus: ante ætatem ſponſalia pepigit, nunc connubia iungit. Vides, quàm ſerena in manus Tuas conueniat; nunquam viſa lætior; quàm in his nuptijs, poſt quas Tecum imperij faſces attollet, potentiùs in publicum progreſſura. Vocem eius genialem audiuimus:

---- Mitiſsima ſors eſt
Regnorum ſub Rege nouô

Arduum quidem eſt ſemper eodem loci potētiam & concordiam conſidere; prudentia ſedem inuenit. Rarò admodùm,

Nec benè conueniunt, & in vnâ ſede morantur
Majeſtas & amor; ----

Illa eodem ſinu complexuque excipit: nec gratiam amori, nec pondus maieſtati detrahit, vtriuſque indolem concordi temperamēto miſcet. Ægrè Reſpublica cohæret ſemel animorum concitatione colliſa; illa vinculum dat, quò vitalis ille ſpiritus, quem tot millia hominum trahunt, vno concordiæ nexu illigari poſſit. Hoc ſupereſt, vt auulſos à Religione animos Eccleſiæ per illam reuincias: nec tam viribus, quàm ſolertiâ nodus hic adſtringi poterit. Adeſt Tibi prudentia ſupra reliquas naturæ dotes. Tribus hanc componi ſcimus, vſu, ingenio, memoriâ. Vſum dedit experientia, memoriam exercitatio, ingenium natura. Tu mentis tuæ dona regia liberalitate viciſſim SER.^me PRINCEPS Tuis imperties, ſi votis noſtris faueas. Reclude anhelantium pectora. Audi voces è nuptiali epulo & gratiſſimo Tui ſpectaculo; audi fauſtas acclamationes: *Philippus VVilhelmus optimus, mitis, comis, prudens, æquus, VVolfgangi ſoboles. Vnicum Patris patriæque delicium, quia vnus tot Prouinciarum hæres. Comes Palatinus. Dux Iuliæ, Cliuiæ, Montium, & Caroli nepos: Carolus rediuiuus: Germen Boicum: ſplendor Auſtriacus. Imperatoris Conſobrinus. Regis Hiſpaniarum Conſanguineus. Monarcharum totius Europæ ſanguis proximus. Princeps iuuentutis viuat, regat. Certi iam minori diſcrimine hæreditarium ſumi Principem quàm quæri.*

JNGENIO NON VNA VIA EST:



Viuax ingenium ſimul
Curis, & ſtudijs ſufficit arduis.
Diduc *conſilij capax*
Pectus, funde ſinus, explicitaſq; opes
Mentis, quam tot ado reis
Ornauit teneris Pallas ab vnguibus:
Ætatemque ſupra, ſupra
Artis præſidium & dona regentium
Natura ingenium extulit,
Æquauitque Patris dotibus æmulum.
Faſces imperij capis,
Multis implicitos Martis & vrbium
Curis. Exſere, Magne Dux,
Affuſum patriâ robur ab indole.
Non vna ingenio eſt via:
Oſtentaque catam pectoris indolem
Non vno patriæ modo.
Quaſe cunq; patens rimula diffidit,
Quantumuis tenui via,
Fax ſeſe radijs prodit, & aërem,
Per noctis tenebras, ſecans
Nouit perſpicuis pingere lineis.

GE-

GENIVS SPONSÆ

Teda *Caritatis clarus.*

PRudētia Principis tres ſui partes reſpicit cariſſimas,cōiugem,liberos,&Prouincias:ijs ſe impēdit perinde,vt illæ ab illo pendent.Eōdē ſe coniugis caritas cōuertit: ad Principē,vt Hyacinthus ad ſolē:ad liberos, vt Illuſtriora Prouinciarū ſidera:ab his ad ſubiectos, vt minora aſtra. Fidē dulciſſimę cōiugi vt curā liberis,beneuolentiā reliquis impertit.Imaginē hîc viuā Tibi *Conſtātia* Mater in tabella dedit, & cordi inſculpſit.Qua fide *Sigiſmundum* Patrē per omnes procellas & belli turbines ſecuta ! Anno ſtatim primo connubij, rebelliū turbis per varias prouincias iactata,partumq; nondū enixa circūtulit, nunquā interim cū fortuna & iniurijs queſta: quia *Conſtantia* erat. Ingruebat pōſt alia tempeſtas,quæ *Sigiſmundum* ad Smolēski obſidionem traxit. Inſecuta Vilnā Mater, hæſitq; ad bienniū propius obſidionem, quia Regem amore obſidē tenebat. Inde incēdio vrbis eiecta ægrè ſcaphâ piſcatoria vitam flammis exportauit. Nihil ſuam iacturā deplorare audita;ſed ſuorū & ciuiū.Omnē ſupellectilem regiā,aurum factū infectumq; expendit: quæ cū nō explerēt egenorū lacunas,Gynæcei opes pignori oppoſuit, vt laxior eſſet Regia liberalitas.Quæ mater id largiùs fecit? dotes filijs detraxit, & in ciues effudit. Iam vtiq; mater,& vltra eſt. Dubitē equidem hic *Conſtantiamne*,an Caritatē appellem. Parem in filios piè informandos ſollicitudinē traduxit, ſciebat munimen aulæ regios eſſe liberos, ſi probi ſint:nec tam genus,quàm geniū,nec tam gentē, quàm mentem pro dote capi. Opes & patrimonia mortuis parētibus filij facilè ad ſe trahūt;vt ruēte quercu ligna quiuis colligit. Virtutes pauci, niſi viuæ inſitæ ſint. Hinc illas tam ſtudiosè in Te traduce manu ſeuit.Ideoque iam his Prouincijs optabilior,quò caritate integrior, fide conſtantior, amore in *Philippum* &Prouincias ardentior:fluet ex illo riuulus in ſubiectas regiones.Rorem dedit *Maria* Auſtriaca *Caroli* Mater, *Magdalena* imbrem, *Catharina* puro tandem flumine limum errorum proluet.

Adſis ô tandem tot anhelis filia votis;
Quot deſiderijs ſtringitur obſes amor.
Arctoo quamuis ſata nobis veneris aſtro,
Nil tamen in miti corde rigoris habes.
Mellea tota fluis, Catharina *es lactea tota,*
Hybléo ſtillant dulcia rore labra.
Plurima fingit amor cœcus ſibi.fingere de Te
Nil potuit:tantùm hîc eſſe Poëta nequit.

III. GENIVS SPONSI

TEDA *Iuſtitiæ armatus.*

PRincipi nemo leges ſcribit: dictũ eſt *Plinij* in Panegyri. non tamẽ perinde vox illa *Caracallæ* libera: *licet ſi libet;* ſed illa Chriſtiana:

Minimum decet licere, cui nimium licet:

Quia facem habet à tuo *Genio*, libram à iuſtitiâ. Sciunt Tui *Princeps*, quòd cùm omnia poſſis, ſola laudanda credis placere. Norunt Tuam clementiã fidiſſimam iuſtitiæ comitẽ, quæ amorẽ apud populares, metum apud hoſtes quærit; vnde Te

Non ſic excubiæ, non circumſtantia tela;
Quàm tutatur amor.

Senſerunt modeſtiã, qua Te non tã pro faſtigio Tuo metiris; quàm proijcis ad preſſorum ſubleuamen: quâq; in alto poſitus, potes non alta ſapere. Experti ſunt fidem, quæ vbi in verba, etiã in manus conuenit. Verbo, ſummi, infimi ſe ad Tuam æquitatem conuertunt: etiã in carcere ligata cauſa ſe erigit, & vincula laxare incipit. Quid hîc dicã, Princeps? illudne *Auguſti* apud *Senecam*: *pietate & iuſtitia Principes Dij fiunt?* at vetat ſubmiſſio tua: An illud Homeri?

Πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν,
Mitis erat Patris inſtar.

Summũ ius ſumma iniuria; Iuſtitia ſi clemẽs eſt, Principis eſt: amari illam magis conuenit, quàm timeri. Hæc mititas æquitaſq; ijsdẽ Tecum cunis excepta, eodem lacte nutrita, Patris deniq; exemplo tibi hæres adhæreſcere debuit, qui laudatiſſimo omnium Principũ negotio, quotidie omnium afflictorum perinde vt potentum, pauperum non ſecus, ac optimatũ cauſas cognoſcit, audit, legit: eadẽ liberalitate ingenium & manum egenis impendit. Quàm ſæpe oblectari viſus, quãdo Te puero adhuc libellos ſupplices manibus tuis porrectos excepit? viſi tũ ſumus videre *Arcadium* ex *Theodoſij* infantuli manu, *Porphyrij* Præſulis chartam acceptare. Præludia hæc erant, vt manum Tuam ad iuſtitiæ opem adſuefaceret: Hæſit iam inde Tibi tenaciùs. Vbi faſces ſuſtuleris altiùs, inſublata ſimul libra iuſtitia conſpectior erit.

FAX OMNIBVS VNA.



QVid ſub tam placido, Philippe, cœlo,
Innubis tuus ille vultus; ille
Aſpectus nitidus, ſerenus; ille
Iucundus, radians, amœnus; ille
Semper omnibus vnus æquus, idem?
Semper ver radijs micat ſerenis;
Semper ſole nouo dies apricos
Iſtic frons aperit. Suauiorem
Rarò floriferis apes in hortis
Viderunt. Tuus ille vultus, ille
Semper omnibus vnus, æquus, idem,
Ceu fax in media virûm corona,
Flammas diuidit omnibus ſerenas:
Nec lucet minus æqua teda vulgo,
Aut plebi laceræ, Lariue Codri,
Quam Crœſo micet, aut Neronis aulæ.
Magnum Principis eſt decus, Philippe,
Jus vna omnibus æquitatis vrnâ
Metiri, Nemeſiſque ſtare lancem
Jmmotam populi metu; nec auro
Flecti diuitis ad fauoris auram:
Iam vultu poterit tuo deinceps
Fas & ius populo Themis referre.

GE-

TEDA *Clementiæ amatus.*

IVſtitia ac clementia familiæ bene moderateque inſtituendæ anima quædã eſt: illa Patri potiſſimum eſt defendenda, hæc Matrem magis ſpectat. Illi ergo ſerius in caſtigando vultus nihil indecorum aſpergit; bonitatem à tuo pectore habes, quâ vt velo miſericordiæ multa obtegas, quæ ſeuerior Patris oculus perſtringeret, aut acrius quandoq; inſpiceret quàm vellet reus. Hic in matre

------ignoſcere pulchrum eſt
Jam miſero; pœnæque genus vidiſſe precantem.

Supremus arbiter Principi iuſtitiæ gladium dedit. Hîc denuo Matris eſt hebetare ferrum, imo aciem iuſtæ interdum iræ obſtringere. Sic demum]

----peragit tranquilla poteſtas
Quæ violenta nequit, mandataque fortius vrget
Imperioſa quies.

Metus & terror infima ſunt vincula caritatis, longeq; valentior amor ad obtinendum quod velis quam timor. Qui Te Auſtriacam videt, potẽtiam & clementiã in vno gremio videt; In altera ſceptrũ; ſpongiam in altera manu conſpicit, qua miſeris lachrymas detergas: à miti illo Cæſarum hoc habes ſanguine: Tuæ illud familiæ eſt munimentum, quod *Craſſi* votum erat: *imperare ſine ſanguine.* Albam Polonorum Aquilam & furuã Auſtriacam in ſcuto gentilitio circumfers. An verum? Illâ candidæ innocentię patrocinium: hac clementię cauſam ſuſcipis: hoc tuum eſt maternum pectus; illa ſuauiſſima indoles, amoris in tuos illicium. Dicere iam Te audio voce Auſtriaca:

---Cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat Clementia nobis.

Age itaque, familiarem Tibi ſociã, & quaſi collactaneã Clementiã ſemper iunge.

Regia virtutum dos eſt Clementia, *ſolâ*
Hac poteras tanto dote placere Viro.
Scilicet Auſtriacum eſt parcendo vincere cunctos;
Iuncta placet Lauro mitis Oliua ſuæ.
Perge age, præ reliquis placeat Clementia *donis;*
Eſt ea virtutis gratia prima Tuæ.
Quid mirũ eſt Sponſo quod ameris digna Philippo?
Hinc poteras hoſti Virgo placere tuo.

IV. GENIVS SPONSI

TEDA *Fortitudinis armatus.*

GEneroſum pectus inſpexerat Poëta, vt altiùs erigeret, inquiebat:

Fax mentis honeſtæ
Gloria.

Quartam hic facem ſublatam videmus animi Tui magnitudinem: hanc *Genius* tuus vltro arripuit & nuptijs intulit, multò cœteris animoſior. Ephebum rebar primùm, qui nuptiales calices libe. riùs inſpexiſſet, & ſobrium deprehendi *Genium* ſpiritu & calore Tuo afflatum, vbi vultu â me notatus, inquiebat:

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Vidi tum animum Tuum ex traduce Imperatorum ſtemmate nunquam à *Ruperti* nepotibus Palatino ſanguini generoſiùs immiſtum eminere. Satis hoc eſſe poſſet ad magnitudinem Tuam, quando ita

Fortes creantur fortibus.

Sed nihil tam magnificum in Te, quàm quòd à Generoſo Patris animo poſſides. Nihil tam celſum, quàm quòd ab infractâ eius inter tot aduerſa virtute, in te transfuſum eſt. Summa hæc felicitas fuit, in tam erectam Patris mentem & curam Sereniſſimi Filij indolem incidiſſe. Altiùs adhuc ſurrexit vigor ille Tuus, & quaſi *Miltiadis* tropeis excitatus incluſam pectori magnitudinem cum *Themiſtocle* in campo gloriæ explicare voluit. Videre id licuit, quando ardente vndiq; Germaniâ, in medio belli incendio conſtitutus rapiebaris militari æſtu, vt ſub Ferdinandæis Aquilis tua etiam tropea erigeres: tantùm non *Alexandri* gemitus, conſpectis aliorum victorijs, pectori tuo compreſſus luctabatur. Repreſſit eluctante ſpiritum Prouinciarum ſollicitudo, aliaq; conſilia quibus tam ægrè Te, quàm fortiter permittebas: verebantur Tui, ne vnicus quatuor Ducatuum hæres, dum proſperiorem fortunam cupidius inquireret, aduerſam incautius incurreret. Difficile aiebant *Sebaſtiani* Luſitani exemplo territi, ita iuuenilem calorem cùm animi magnitudine componere, vt non præferuida gloriæ cupiditas prudentiæ frænum auidiùs præriperet, & præproperus caſus non circumſpectam alicubi fortunam deprehenderet. Propè ſe conſequi dicebãt; *Martem experiri ardentiùs, & incautiùs mortis caſſes incurrere.*



CErnis, vt magnis, animoſe Princeps,
Deſtinet magnos animos & auſus
Prouidus rerum DEVS, indolisq;
Rector & auctor?
Non enim viles animos decoro
Corpori mergit ſtudioſa virtus.
Hoſpiti menti domus elocatur
Apta Philippe.
Quid Tuus ſanguis, quid honora forma,
Quid decor vultus, ſpeciesq; pulchri
Principis? Sedes animi parata eſt
Principe digna.
Emicat toto generoſa virtus
Corpore, & ſupra Procerum decorem
Indoles ſurgit, nec auitus infra eſt
Stemmata ſanguis.
Boicum ſpirant animi calorem:
Et Palatinos tibi Celſitudo
Spiritus tollit ſuper auſpicata
Geſta parentum.
Hoſticos enſes, patriæ fauillas,
Sanguinem fuſum, populantis arma,
Ciuium ſtrages facie ſerena
Omnia vidit.
Dextra tunc impar erat, inter omnes
Hoſtium nimbos; animus ſereno
Interim cœlo ſpeculatus iram,
Fulmina ſtrinxit.
Non ita, aiebas, abeant inulti
Vindici dextræ ſcelerum furores:
Dextra ſi impar eſt, animus iuuabit
Preſſus ad iras.
Et leo inſultus patitur nocentes,
Donec in plenos ſtimulatus auſus
Proruat: nondum furor euolutus
Limite ſcripto eſt.
Exſerent armos validi leones
Iuliæ, *cudent chalybem calentes*
Montium *incudes, reuomentq; victis*
Arma repreſſa.
Scæuolæ dextram potuiſſe falli
Scimus: at mentis generoſus ardor
Porſenam *Româ potuit mouere, &*
Pellere caſtris.

GENIVS SPONSÆ

TEDA *Modeſtiæ gratioſus.*

REgias in Te virtutes notamus, *Anna Catharina*, Principe dignas, dotes *Philippo* ſuppares: verùm omnes

Collecta modeſtia ſeruat,

& moderatio animi temperat, quâ nihil fortius etiam in viro reperies. Magnum eſt excellere, & modeſtè ſe ad humanam conditionem reprimere. hîc videlicet

Bis vincit, qui ſe vincit in victoria ſui.

Certè magnam fortunam magnus animus decet, ne ſe efferat: vtq; hominem ſe non minùs, quanquam hominibus præeſſe cogitet. Pulchritudo illa vultus Tui, amabilis aſpectus, congreſſuſq; ; corporis totius formoſus habitus, omnium oculis auguſtam & iucundam ſpeciem ingerit: amœnior longè modeſtia Tua nobis ſubijcitur, *pulcherrimum in virgine donũ*, vt dixit *Euripedes*; & *Zona purpurea*, quâ pudica indoles incingitur, ne laxius diffluat; Rara virtus eſt, magnæ fœlicitatis nauem nunquam ad faſtum allidere: cùm tamen *Saluſtio contemptor animus & ſuperbia, commune nobilitatis ſit malum.* Tua in alloquio ſuauitas, in moribus dulcedo, in animo temperies, in cultu corporis modeſtia ea eſt, quæ Regis Filiã decet, non excedit vſpiã. Tota comis, amœna & mitis, quia Auſtriaca es. Nimirum idem omnibus eſt modeſtiæ & clementiæ fluxus ex hoc domus fonte. Tantò porro modeſtia plus in virgine habet decoris, quanto plus purpurei ex verecũdiâ coloris. Hæres illa virtus à Matre *Conſtantiâ* Tibi ſcribi debuit; vnica cùm ſis tanti Regis Filia, S. *Caſimiri* propinquus ſãguis: Vel ab *Anna Vladiſlai* Matre Materterâ Tuâ, qualiũ virtutum Regina? Quot hebdomadès duodenos pauperes ſæpe plures menſæ ſuæ admouebat & obſequijs. Vidit Suecia antequam coronã capiti daret, ſtare Reginam Magiſtrã in medio puerorũ grege, & elemẽta fidei tradere, pollice ductore puellis crucis figuram ſignare, preces docere: felices plantulas regia manu ſatas! Hanc modeſtiam, hãc ſubmiſſionem non ſatis mirari potuerunt à Religione vt ſenſu ita & vita remoti. Nec aſſequebãtur; quòd paria à fide Catholica & ſubmiſſione Chriſtiana intervalla eſſe ſoleant.

Regia virtutum laus eſt diducere largam
Aere manum, & laxos ſpargere dote ſinus.
Non tamen in vulgus mores effundere laus eſt:
Hos melius ſtrictos vita modeſta tenet.
Anna, *tuas dotes ſic ipſa modeſtia ſeruat,*
Vt præter te vnam quiſque ſciat melius.

V. GENIVS SPONSI

TEDA *Continentia admirandus.*

BEnè ad amores tranſit, qui non abit à continẽtiâ. Fœdus hæc duo, SERE.me PRINCEPS, in Te cõmune habent: amplecteris illam; hãc non abijcis: de Te ne hoſtis quidẽ aliud ſentire prudenter potuit. Sic enim continẽtem vidimus, vt non à labe tantùm fueris remotus; ſed & eiuſdem ſuſpicione: aut ſi qua eſſet, erat illa, num conſtans tuus ille tenor, appetitiones animi gyro rationis continendi, ſenſus eodem claudendi, conſuetudinis in Te vim haberet, an naturæ? motúſne praui in Te domiti eſſent, an ſuppreſſi? accîſi, an radicitus euulſi? Habent aulæ, etiam Sanctæ, ſua quandoq; illicia: habẽt ſcopulos, ad quos incautiores allidantur. Malo te continentiæ alligaſti, ne Sirenũ illecebræ in exitium pertraherent. Ipſe tibi inimicus fuiſti, vt caſtitatis & DEI eſſes amicus. Falſum in Te oſtendiſti, id quod ille aiebat:

----Rara eſt concordia formæ
Atq; pudicitiæ.

Duæ illæ, fœlici & raro in Te connubio, ante nuptias, ſibi inuicem nupſerunt: ideoq; (quod rarum, & carum) ſeruaſti illæſum, & Te ſeruauit, quod pluribus anſam præbuit ſe, ſuaq; perdendi: Suauiſſima vultus Tui gratia, & oris totius habitus omniũ animis quiduis imperaſſet, ſed ab ijſdem non niſi ad Dei, virtutiſq; amorem voluiſti imperari: & tui ipſius victor, rationis & continentiæ imperio Te liber & libens ſubieciſti. Neq; ex circumſtantibus Te vndique aulę illecebris plus ſumpſiſti audaciæ, quam piſcis ex mari ſalſuginis. Nunquam in Te notatus vel oculus liberior; vel pes ſolutior; vel manus audacior; vel lingua petulantior. Feſcenninos iocos & Paphios ſales, vt alij blaſphemias odiſti. *Cyrum* te vidimus continentem inter *Pantheæ* delicias, *Alexandrum* inter illecebroſa *Darij*, totiuſq; Perſidis ſpolia, *Scipionem* inter pulcherrimas Carthaginis prædas, & penè *Spurinam* inter præſentes audendi occaſiones. Nẽpe vbi inter aulæ licentiam *Liber*, liberiùs *Nerei* etiam vrnas, ad vini miniſteria vſurpabat; ſobria tibi *Galathea* modicos vini cyathos ſalutari lymphâ diluebat; ne virtutum illum florem mergeres, aut collectam, omnium cultu, gratiã vnâ effunderes. Quàm id gratum fuerit, & etiamnum ſit omnibus tibi deditiſſimis ſpectaculum, vel ore tacito, loquacibus oculis & emicantibus inde animi ſuſpirijs, votiſq; proferunt: qui omnia ſumma, omnia fauſta tantæ Tuæ continentiæ deberi exiſtimant, eademq; optant. Impleat vota, vti cœpit, Deus.

NON

NON MALE CONVENIVNT.



CErnis vt appoſitæ confundant lumina tedæ,
  Nec niſi iam falſò dixeris eſſe duas?
O faciles ignes! an amantûm ſymbolon eſtis?
  Qui quamuis duo ſunt, velle duobus idem eſt?
Quam facit vna diem, fax altera promouet: vna
  Si flectat radios, altera tentat idem:
Sic animis coiêre nouis; vt neutra decorem
  Solius, at ſociæ iam velit eſſe ſuam.
Vtraq; nempe gerit de cerâ virgine ſtamen,
  Conſtat & è puro, linea tota fauo:
Virgineæ quondam volucres quam flore roſarum,
  Quamq; croco, nardo quam populantur apes.
Virgo hæc virgineis implexa eſt vndiq; tedis,
  Inde etiam puri luminis illa dies.
Si pice fœtentes coniungant lumina ſpiræ
  Supparibus tedis; non erit iſta dies:
Materiamq; ſuam ferali luce loquentur,
  Inde nec in cœlos mitior ibit odor.
Aſt vbi ſe puræ coniungunt lumine tedæ,
  Nil perit, & gratus creſcit vtrimque decor.
Iam puri Catharina faui coniuncta Philippo eſt,
  Gratior & patriæ naſcitur inde dies.

GENIVS SPONSÆ

Teda *Pudicitiæ gratioſus.*

AVſpicatum fœdus ac felix vinculum, quod amans continentia cum amore ſuaſit, nectit *Genius* non ex Cypridos ſatellitio, aut Cupidinum abſtractus commercio; ſed temperantiæ gynæceo, naturæ gremio. Benè conueniunt, quibus omnia paria, à virtute, à moribus, à gratiâ; qui & eo, quo diſcrepant, conciliantur. *Genius* penè idē vtriuſque eſt atq; indoles, qui tātis locorum interuallis, diſſiti iunguntur. Non via, non natio, non linguarū gentiumq; obſtant diuortia, vbi *Genij* conſpirant & ingenia. *Ælius* olim *Beatricem* ſuam, naui elegante, raroq; opere inſtructâ, ſecūdo Rheno in Cliuenſem portum veſtrum inuexit. Ducebat eam argenteâ catenâ ſubiugatus candidiſſimi velleris Cycnus: nulla nec pretioſos remos gratia; nec gratioſa vela pretium: nec omnē apparatum raritas deficiebat: omnia cariſſimi, quod vehebant, pignoris dignitatē loquebātur, *Ælio* cōmendabāt. Candidiſsimi, quibus eniteſcit, mores, & Cycnæus mētis integerrimæ candor, aureo amoris funiculo *Catharinam* ad *Philippum* deduxerit: immò *Philippum* ad *Catharinam* pertraxerit. Et quidni pares *Genij*, mutua coaleſcant ſimilitudine, caſtiſſimo nectantur fœdere? Ipſæ quas ferunt *Tedæ* hoc docent. Pari alimento par elementum gaudet, pares flammas alit, paria ad ſocietatem & connubium ſtabile vniuerſa: miſcent ignem, ardorem dicam, an amorem iungunt? in tenebras pugnant, diem augent, lumen diffundunt, oculis animiſq; blandiuntur, vota prouocāt, amorem accendunt. Cum Tuo *Philippo* diu felix *Catharina Anna*, perēna: & amoris fructum deſideranti patriæ effunde, cuius gratioſum florem iam prælibamus, & futuræ felicitatis, imaginē præcocibus animis præcipimus: Dabit benignus Deus, quod merita veſtra ſperare iubent, continentia pollicetur.

Candida virginitas cum caſtum in flore colorem
Virgineo ex vultu, pingeret, Anna, *Tuo:*
Protinus erubuêre genæ, roſeoque pudore
Suffuſus vultus purpura totus erat.
Jlla pudicitiæ vera eſt, dicebat, imago,
Sanguine quæ proprio pingitur ipſa ſuo.

PARS

PARS III.

CLYPEI
VARIIS HONORVM INSIGNIBVS INSCRIPTI,
ET SPONSORVM GENIIS APPENSI.

GENIOS Veſtros, SERENISSIMI PRINCIPES, tertiùm producimus; nec rei ſimilitudine faſtidium metuimus: abſtergit illud virtutum veſtrarum varietas, & raritas nunquam ſatis laudata, nedum ſpectata. Eam qui ſuo pondere æſtimat, plus dicit mereri, quam poſſit tribui. Scuta & *Clypeos* veteri inſtituto, Heroës de repub: benè meriti in donis auferebant; & hodie in nuptijs ſupparibus quãdoque donis honeſtantur. At vos rebus domi natis diuites, aliena dona ſpernitis: ideo Sereniſsimam progeniem veſtram hac parte ſpectandam proponimus, & glorioſos maiorum veſtrorum *Clypeos* oſtendimus: Nõ alienos; ſed veſtros: nam honorem illorũ virtuti ampliſsimè collatum, imitatione veſtrum facitis & inuicem tribuitis. Quòd graue periculum à Re noſtrâ publicâ propulſatis, ex more veteri, ab equeſtri ordine & populari, *Clypeo* donamini. Rem veram aſcititio colore adumbramus, & *Genijs* veſtris in *Clypeis* exprimimus ſi alicubi à vero abluditur, penicilli; non prototypi vitium erit. Dos rara *Pallantis* Filiæ cenſebatur, *Dardano* in dote, vel vnum *Clypeum* contuliſſe: quot & quantos vos ſinguli? ne ſpectaculi iucunditatem verba præripiant, ad illud properamus. Agite,

Conticuêre omnes; intentiq; ora tenebunt,
Pandetur tantæ cùm noua ſcena rei.
Non venit huc faſtus, nec inania nomina Reges:
Virtutem in veſtris enumeratis Auis.

I. CLYPEVS
SERENISSIMORVM PRINCIPVM STEMMATE INSIGNIS, ET EORVNDEM GENIIS DICATVS.

CElebris fuit *Agamemnonis Clypeus*, Leonis effigie terribilis: iactant & ſuos leones in Clypeis Bohemi, Scoti, Flandri, aliæq; Gentes; Tuum nos *clypeum*, SEREN.^me PRINCEPS, non vno Leone inſignem ſuſpicimus, cui exornando, non peregrinus & aſcititius Leo; non Poëticus color, aut mentitæ imagines affiguntur, aut affinguntur: non ille


Parmâ eſt inglorius albâ:

In quo & *Palatinus*, & *Iuliacus*, & *Montium* Leones, honori Tuo augendo iunguntur, & ſtemmati extollendo ſuccollant. Accedit nunc cataphractus *Conſtantiæ* Equus, & vti Leo quadrupedum Imperator, ita volucrum Regina Aquila, aptiſſimè, vtriuſque ſcilicet ſtirpis fortitudini adumbrandæ coniuncti, nunc ſpectandi veniunt. Modum ſcenæ vetuſtas aperit, quæ ex arboribus *Clypeos*, & cœtera honoris inſignia triumphatura defixit. Et *Romulus* detracta Sabinis arma & *Clypeos* in monte Tarpeio memoriæ & honori ſuo ex quercu ſuſpendit. Ecce quaternas vobis arbores familia veſtra ſuggerit, ſolo firmatas nobili & auguſto, vtrique origine proprio: ibi nempe radicē fixiſſe cernimus, vbi honoris veſtri & ſanguinis olim coniūctio, per alios digreſſa ramos nouo hodie amoris fœdere in vnū coaleſcit. *Cedrum* in primis Palatinam à vetuſtate inconſumptā, *Palmam* Boicam premi recuſantem; *Laurum* deinde Auſtriacā perpetuo virentē, *Oliuam* tādem Iagellonicā honore pacis florentē habetis; ſingulas ita dignitati familiæ veſtræ aſſimilatas, vt aptiores nec ingenio exquiri, nec voto fingi potuerint. quis enim *Cedrum* Palatinam inter ſeptemuiros Imperij eminentem non ſuſpicit: & rami huius cacumen in te *Philippe* incîdi non metuit, ne tota hęc ſtirps tecum emoriatur? *Palma* vero Boica quàm inter prementes vltimis hiſce temporibus in altū eluctata eſt, nec ab imminente hæreticorum pondere vnquā oppreſſa? Iam nulla hyemantis anni procella decuſſus *Laureæ* Auſtriacæ viror, an non appoſitè continuā tot Imperatorū ſeriem deſignat? omnibus Europę ſtirpibus illa inſerta eſt & propagines ſuas vobis agnatas quaquaverſum diffudit. *Olea* tandem Iagellonica, quoties prouincijs bello concuſſis pacem intulit? hiſce quatuor familiæ veſtræ decora, ad omnes orbis Chriſtiani Monarchas, ſanguine pertinentia affigite, & conſpicienda omnib. proponite: ſpectabunt auidi & honori veſtro, ab eadem origine, diuerſis vijs, in vnū redeunti, læti applaudent.

AR.

ARBORES
GENEALOGICAE
CLYPEIS GENTILITIIS
Seu
STEMMATE
SERENISSIMORVM CONIVGVM
INSIGNES.

ARborum quaternionem lectiſsimum Veſtro, SERENISSIMI PRINCIPES, Thalamo præfigimus; ſeu potiùs decerptas aliquot, ex ampliſsimis per omnem retrò antiquitatem diffuſis arboribus, ſtirpes hoc in ſchemate plantauimus. Ex quibus Vos deniq; felici propagine, tanquam flores pulcherrimi, ipſo excreuiſtis in Arborum vertice, ac ſpem fructus optatiſsimi facitis. Ignoſcite parciùs Maiorum veſtrorum gloriam, Veſtrámque dignitatem penicillo ac calamo adumbrantibus. Non enim inſtituti noſtri fuit Genealogicas Arbores radicibus ſuis altiſsimas ab omni retrò memoriâ explicatas proponere: ſed hac mente penicillum ſumpſimus, vt quibus Vos, SEREN.mi CONIVGES, gradibus conuenire, quibus diſcedere, ac rurſum amore magis mutuo, quàm ſanguine coaleſcere contingeret, id rudibus lineamentis oculis Veſtris obijceretur. Porrò CEDRVS PALATINA in octauo & decimo gradu Vos exhibet; PALMA BOICA in tertio: LAVRVS AVSTRIACA in eodem, & quarto; ſi *Ferdinandum I.* Imperatorem originarium fecerimus ſtipitem: aut etiam in tertio, ſi ab *Annâ Ferdinandi* Filiâ genus cenſeamus. OLIVA POLONICA denique in quarto & ſexto gradu ſociauit. Ex his verò cum ſingulorum hiſtoriam pertexere longum eſſet, atque à noſtro alienum propoſito, rectæ tantùm lineæ breuem aliquam vitæ magis, quàm rerum geſtarum periodum deſcripſimus, fide alienâ & ab alijs Hiſtoriographis nobis per manus traditâ. Illud interim ominamur, fructum longè futurum ampliſsimum, in quem tot arbores, tota Europa nobiliſsimæ, velut ſibi proprium ac natiuum, ſuccum omnem Generis ac Virtutis à maioribus acceptæ transfundunt.


C. PAL. BIPONTI.
C. PAL. NEOBVRG
COM PALATI
WOLFGANGVS
PHIL. LVDOVICVS
WOLFGAN. WILHEL
ALBERTVS D.
Eduardus
Renata
CONSTANTIA
MAGDALENA
CHRISTOPHORVS
PHILIPPVS
CATHARINA
MARGARETHA
Elisabeth
Agnes
Otto
STEPHANVS
RVPERTVS
IMPERATOR
CE DRVS PALATINA

STEMMATIS SERENISSIMORVM CONIVGVM

PER CEDRVM PALATINAM

ASSVRGENTIS

COMPENDIOSA DECLARATIO.

BOICÆ, ac Palatinæ gentis nomen, in Germaniâ celeberrimum, à longâ retrò antiquitate Duces, Reges, atque Imperatores cenſet. Ex his alij *Carolum*, re ac nomine Magnum: alij etiam *Henricum* Imperatorem, vitæ ſanctimoniâ illuſtrem deducunt; gemina ſidera, ex quibus non domus tantùm vna; ſed Europa vniuerſâ hodiedum lumen accipit. Nos præteritâ antiquorum ſerie *Cedrum Palatinam* ab Imperatore

RVPERTO Duce, Rheniq́ue Palatino auſpicamur. Qui ex *Ruperto Tenace, & Beatrice Petri Aragonum Siciliarumq;* Regis filiâ ad Imperium natus, *VVenceslao* Principum Electorum voluntate, ac Pontificio ſuffragio Bopardiæ ad Rhenum ſurrogatus eſt Anno 1400. Agrippinatum vero Coloniam, ſolenni inauguratione, *Friderici III.* Archiepiſcopi auſpicijs illuſtrauit. Coronam tulit non ambitionis; ſed virtutum ſuarum præmium. Mentem à naturâ ſortitus erat ad omnia perſpicacem, animum ad omnia interritum. Exercitum ad Italos tranſtulit, ſub *Ioanne Galeatio* Mediolanenſium Duce inquietos; vbi mors etiam pro Imperatore pugnans, cum *Galeatio* belli incendium reſtinxit. Germania porrò vbi ſuum recepiſſet archiſtrategum, pacem in armato amplexa eſt, ac didicit in Boico Leone non minùs reperiri in pace manſuetudinis, quàm bello terroris. Cæterùm *Rupertus* ex *Eliſabethâ* Burggrauij Noribergenſis filiâ, præter illam in Arbore recenſitam ſobolem, *Margaretham* habuit *Caroli Audacis* Lotharingiæ Ducis coniugem, quæ felicibus aucta nuptijs, latè poſterorum familiam, ad *Annam Catharinam Conſtantiam* Sereniſſimi Principis *Philippi VVilhelmi* Sponſam propagauit. *Rupertum* vero Anno 1410. mortuum excepit ædes S. Spiritus, quam viuus Heidelbergæ erexerat.

STEPHANVS Bipontinus aliquot ex *Ruperto* fratrum ſtirpe intermortuâ, hanc ſeriem propagauit. Biponto & Obrincæ hæreditarijs ſibi terris Veldenſem & Sponhemenſem Comitatus adiecit; qui ipſi cum *Annâ Friderici* Comitis in Veldentz Filiâ, dotis nomine obtigerant: paternarum ille non minùs virtutum, quàm bonorum poſſeſſor fuit.

LVDOVICVS cum *Friderico* Germano hæreditatem ſortitus, Bipontinos de ſe, ac Neoburgi Duces cenſet, Sereniſſimi Principis *Philippi VVilhelmi* tritauus, pacis belliq́ue fortunam expertus eſt; felicior, niſi contra *Fridericum* victorioſum pugnaſſet,

ALEXANDRVM ille ex *Ioannâ Porciæ* Comitis ſuſcepit Filiâ Sereniſſimi Principis atauum. Bello clarus, pace tamen ac Religione multò habitus eſt illuſtrior, cuius etiam amore Palæſtinam ante, quàm cœlum adijt; nullum arbitratus eſſe ad Superos iter tutius, quàm per Chriſti veſtigia.

LVDOVICVM hic ex *Margarethâ Craftonis* Comitis in Hohenlo Filiâ reliquit Sereniſſimi Principis abauum. Magnus ille ſub Magno Imperatore *Carolo V.* belli Dux, de *Franciſco* Galliæ Rege, ad Traiectum, victo triumphauit. Quare etiam, dum vitam morbo amitteret, Anno circiter 1563 fortitudinis laudem non amiſit.

VVOLF-

WOLFGANGVS illi ex *Eliſabetha VVilhelmi* Haſſorum Landgrauij Filiâ natus eſt, Anno 1526. Ser.mi Principis proauus: pacis, quàm belli ſtudioſior, ad quod illi non robur atque audacia; ſed quædam inclementia deerat, quâ in patriæ viſcera ferrum diſtringeret. Porrò quis in ſago eſſet pro patriâ contra Turcas, Anno 1566. ſuis impenſis ac ſtipendijs militans oſtendit. In alijs præterea bellis contra hoſtes exercitatus; neque infelix re vllâ viſus eſt, præterquam ſuis temporibus ſeditione plenis: quibus Neſſuni ſe in morte ſubduxit, Anno 1569.

PHILIPPVS LVDOVICVS Sereniſſimi Principis auus in filijs *VVolffgango* eſſe cœpit, An. 1547. Princeps in quo nemo vnquam niſi imprudens deſiderauit prudentiam; nemo niſi impudens auctoritatem non eſt reueritus. Prolis numeroſæ parens fuit, vt qui præter *VVolfgangum, Auguſtum, Fridericum*, atque *Annam Mariam* in Cedro recenſitas, *Doroth: Sabinam, Aemil: Hedvvigem, Soph: Barbaram* natas habuit; quibus cedrum hanc non inuideremus, niſi Mors cupreſſum pinxiſſet: quam præter cœtera cum liberis parens communem habuit, Anno 1614. poſtquam illi ab extinctâ maſculâ ſoceri prole, in Iuliæ, Cliuiæ ac Montium ducatus ius natum eſſet.

WOLFGANGVS WILHELMVS Comes Palatinus Rheni Dux Bauariæ, Iuliæ, Cliuiæ, Montium. *Phil. Ludouici* filius Sereniſsimi Principis *Philippi VVilhelmi* Pater, Anno 1578. ad 8. Cal: Nouem: natus eſt. Princeps, cuius fortunam ac virtutes parua hæc tabella non capit. Vide Lector Clypeum ſecundum.

Nunc à RVPERTO inchoatam Sereniſsimæ Sponſæ *Annæ Catharinæ Conſtantiæ*, Genealogiam pertexamus.

MARGARETHA RVPERTI FILIA ex *Carolo Audace Catharinam* ſuſtulit. Non maiorum tantùm nobilitate; ſed & ſuâ virtute illuſtrem.

CAROLVS ex *Catharina* & *Iacobo* Marchione Badenſi & Sponhemij Comite, *Erneſti Ferrei* Auſtriæ Archiducis Filiam *Catharinam* in thalamum ſortitus, ex ferrei nominis Matre, aureum filium habuit,

CHRISTOPHORVM Marchionem Badenſem, natum Anno 1453, Sereniſsimæ *Annæ Cathar: Conſtantiæ* Tritauum. Hęres hic fuit, *Maximiliani* I. Imperat: arbitrio, Comitatus Hochbergenſis *Philippo* Marchione defuncto, cum quo denique, vt ſpes fuit, etiam cœlum partitus eſt; Anno circiter, 1527.

PHILIPPVM poſt ſe filium Badenſium Marchionem reliquit, Sereniſsimæ Principis Atauum, ex *Otilia Philippi* Comitis Catmeliboci Filiâ, Gallorum, Germanorumque militiam expertus; cum *Carolo* denique V. victoriarum laudem partiri maluit.

IACOBAM is filiam, Anno 1522. ex *Eliſabetha Philippo Ingenuo* Palatino Electore oriundâ
ſuſcepit, Sereniſsimæ Principis Abauiam. Ingenuam certè, ſiquidem auo ſimilem.
Hæc porrò *VVilhelmo* IV. Duci Bauariæ nuptui tradita, Maiores *Annæ*
Catharinæ Conſtantiæ Palatinos, cum Boijs confundit,
quos Bauarica Palma exhibebit.



ARCHIDUX AUSTRIÆ
REX POLONIÆ
REX ANGLIÆ
N.1615
N.1619
MAGDALENA
CONSTANTIA
Rex Poloniæ
MARIA
ALBERTUS IV
ALBERTUS III
ERNESTUS D.
STEPHANUS
Mechtildis
PAL MA BOI CA
LUDOVICUS IMPER DUX BAVARIÆ

PALMAE BOICAE
PROPAGINES AD SERENISSIMOS CONIVGES DEDVCTÆ.

PALMAM Boicam à LVDOVICO Bauariæ Duce, Francofurti Imperatore electo, ducimus. Incepit viuere, Anno poſt Chriſtum 1286. cumq; *Ludouicum* Ducem Bauarum Parentem, ſeptennis amitteret, Matri *Mechtildi Rudolphi* I. Imperatoris filiæ curandus relinquitur; ſub quâ ad humanitatem omnem bonis artibus & moribus traductus eſt: Indolem certè Romano Imperatore digniorem, quàm fortunam habuit, cum hac diu multumq; luctatus, feliciorem Germaniam fore credidit, ſi minùs felices pareret, neque plures ſimul daret imperio dignos. Coniugem habuit *Beatricem Henrici VI.* Glogouij Ducis Filiam: demortuæ in locum *Margaretha VVilhelmi* Hollandiæ Comitis nata ſucceſſit prolis non infœcundæ parentes. In liberis igitur *Ludouicus* creditus eſt etiamnum viuere, cum petitam veneno ſæpiùs vitam, iamque eodem diſcrimine laborantem, caſu denique fatali omnino profligaſſet, Anno 1347.

STEPHANVS FIBVLATVS *Ludouici* ex *Beatrice* Filius Bauariæ Dux: is à morte Patris togæ, quàm ſagi amantior ad pacis conſilia, cũ *Rudolphi* Palatini Electoris filijs, pertractanda animum applicuit, & fragili licet vinculo concordiam, quàm adamantino Martem ſibi deuincire maluit. Tres ex *Eliſabethâ Ludouici II.* Vngarorum Regis Filiâ liberos *Stephanum, Fridericum,* & *Ioannem* reliquit: quibus tripartitò ſecta Bauaria obtigit, cùm iam cœlum *Stephano* vt ſperamus, obtigerat, Anno 1375.

STEPHANVS *Fibulati* Filius Ingolſtadienſis ditionis hæres, Parenti ne in nomine quidem cedere voluit. Dignus qui ob martium pectus, & animum ad magnas virtutes natum in palmâ colligeretur: Auguſtani ciues fortitudinem illius triennij bello explorarunt. Bauari fidem Ducis ac clementiam amarunt, inter quos ſe nunquam illic tutiorem, quàm ſine armis credidit, ratus fide, ſe fidem mereri. Denique tunc primum *Stephanus* eſſe viſus eſt, cùm virtutum ſuarum coronam ſub mortem ferret, Anno 1413.

FRIDERICVS alter *Stephani Fibulati* filius, inferioris Bauariæ Dux, cui vnicus prudentiæ titulus ad hanc palmam ſufficere potuit. Rerum per Germaniam geſtarum laude ita apud *Carolum IV.* Imperatorem celeber, vt duodecim illi vrbium Præfectura comiſſa fuerit. Monachium fratribus ceſſit rarâ indulgentiâ. Denique relictis omnibus, etiam vita abijt, Anno 1393.

IOANNES Monachienſis fratrum tertius is fuit, ex quo deinde ſtirps Boica propagata fuit. Illuſtre genus humanitate ac manſuetudine exornatat roſis pulcherrimis: hæ tamen contra laceſſentes ſuos habuêre aculeos, quos *Ludouicus Barbatus* magnâ clade ſenſit. Tunc vero *Ioannes* ſuperatus eſt, cùm illum mors Monachij expugnaret, Anno 1397.

ERNESTVS ex *Ioanne* parente, cum *VVilhelmo* fratre, contra eundem *Ludouicum* non perfunctorio bello decertauit, ac documento fuit, leones pugnâ delectari, viros fortes prælijs. Mors tamen illo fortior viſa eſt, Anno 14·9.

ALBERTVS III. *Ernesto* Anno 1447. genitus, Sereniſſimorum Principum *Philippi VVilhelmi* & *Annæ Catharinæ* Tritauus, virtutibus prorſus eximijs magnitudinem ſuperauit. Omnem ipſe bellorum materiam, cupiditatem vicit; ſemper ante prælium victor hoſtium, quia ſui: vicinioribus Toparchis litem ſpectantibus iure ſuo, ac bonis ceſſit. Illuſtriori nunquam vſus victoriâ, quàm cùm ita vinceretur. Regnum ſibi Bohemiæ vltro delatum recuſauit, ſupra Reges merito cenſendus, quòd eſſe noluerit. Pecuniam in virginum impendit Collegium, viaticum tutiſſimum, quo cœlum adijt, Ann. 1460. Quod viuens nunquam fecerat, moriens adſtantes decipere eſt viſus, cùm ſe peccatorem maximum proclamaret, quâ ſolùm re fidem apud ſuos mereri non poterat. Plurium ex *Anna Erici* Braunſwicenſis Ducis Filiâ liberorum parens. Poſt breues aliquot fratrum inter ſe ſucceſſionum vices, deniq; hæreditatem adijt natu minimus,

ALBERTVS IV. Sereniſſimorum Principum *Philippi VVilhelmi* & *Annæ Catharinæ* atauus, poſt fratres tres *Iohannem, Sigiſmundum, Chriſtophorum* paternâ ſucceſſione ſimul ac vitâ improli functos; poſt *Georgium* item *Diuitem* ſine hæredibus extinctum, *Friderici* Imperatoris ſoceri ſui voluntate, Bauariâ totâ potitus eſt. Ex *Cunegunde* eiuſdem Imperatoris filiâ plures aluit liberos. Voluitque vt natu maximus Principis titulo ac hæreditate paternâ frueretur: reliqui Comitibus ſuccenturiati 4000. aureorum dono acquieſcerent. Monachij vita diſceſſit, Anno 1508. *Cunegunda* relicto mundo, vt tantò virum aſſequeretur citiùs, ac tutiùs, ex clauſtro Virginum viam ad cœlum propiorem ſpeculari cœpit, quam denique cum ſanctimoniæ famâ inuenit.

WIL-

WILHELMVS ALBERTI IV. Filius, vtriuſque Bauariæ Dux, *Sereniſsimorum Coniugum* Abauus, Anno 1493 natus. Smalcaldici hic fœderis iuratus hoſtis, ac Religionis Catholicæ propugnator acerrimus. Auguſtam ſubiectis ſibi populis interdictam voluit, ne quid hæreticæ contagionis inde contractum ſuis adhæreſceret. Identidem illud voce vſurpans: *Tolerabiliorem ſibi patriæ perditæ, quàm proditæ ruinam videri; morte ſe etiam, quàm perfidia occupari malle; & vita, quàm fide excidere.* Societati IESV primus in Germaniâ Principum Collegium deſtinatat, ſed fato præuentus, Anno 1550 Filio eam curam impoſuit, atque etiam piæ Voluntati præmia in cœlo deberi expertus eſt.

ALBERTVS V. WILHELMI Filius vtriuſque Bauariæ Dux *Sereniſſim: Coniugum* Proauus lucē hanc vidit, Anno Chriſti 1528. Princeps in quo virtutes geminæ Sapientia & Magnanimitas de primatu contenderent. *Catholicæ Religionis propugnaculum firmiſſimum* à Tridentinis Patribus dictus eſt. Societatem IESV tenerrimo ſemper amore eſt complexus, quam Collegijs; ac poſſeſſionibus aliquot liberaliter dotauit. Ratisbonæ Comitijs bis præfuit, ſemel *Ferdinando*, poſt etiam *Maximiliano II.* Imperatoribus, inter alia negotia occupatis. Ad Comitia vero cœleſtia tranſijt, Anno 1579. Natus ex *Alberto & Annâ Ferdinandi I.* Imperatoris Filiâ eſt, præter *VVilhelmum, Ferdinandum, & Fridericum, Erneſtus* Elector Colonienſis Archiepiſcopus. Filiam habuit præter *Mariam Maximilianam, Mariam Sereniſſimæ Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Auiam, & *Philippi VVilhelmi* Amitam magnam, *Carolo* Auſtriæ Archiduci *Ferdinandi* Imperatoris Filio nuptam, ex qua *Ferdinandus II.* Imperator, *Anna, & Conſtantia* Sereniſſimæ Sponſæ Mater: vtraque *Sigiſmundo* III. Regi Poloniæ coniux, indulgentiâ Pontificis, data: atque ita *Anna Catharina Conſtantia* ex Boicâ ſtirpe pullulauit.

WILHELMVS V. vtriuſque Bauariæ Dux *Sereniſs. Principum Philippi VVilhelmi* Auus maternus, & *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* magnus Auunculus, Natus, Anno 1548. Paternarum virtutum æmulator egregius, Religionis columen, ſapientiæ decus, pietatis exemplar, liberalitatis arx, & ærarium pauperum. Coniux illi obtigit *Renata Franciſci* Lotharingiæ Ducis Filia, quâ cum ipſi certamen de virtutum principatu fuit. Suam illa ad menſam ex pauperum grege quotidie fœminas 12 paſcebat; ille totidem ex egenorum turbâ viros. Anathemata Regiæ liberalitatis hodiedum Lauretum habet, & admiratur, 80. librarum ex argento candelabrum, & libellum cum imaginibus, 8000 aureorũ pretium: Nati ex *Renata VVilhelmo* eſt digna parentibus proles, *Chriſtophorus* præmaturâ morte occupatus; *Chriſtiana, Maximilianus* vtriuſque hodiedum Bauariæ Dux, Comes Palatinus Rheni, & Princeps Elector: *Maria Anna, Ferdinandi II.* Coniux & Mater III. *Philippus* Ratisbonenſis Epiſcopus & Cardinalis. *Ferdinandus* Epiſcopus & Elector Colonienſis, &c. Princeps hoc fluctuante ſæculo cum fratre *Maximiliano* Religioni & pietati confirmandæ natus, *Eleonora, Magdalena, Carolus, Albertus.*

MAGDALENA nata Anno 1587. ex qua Sereniſſimus Princeps *Philippus VVilhelmus* felici partu in lucem editus. Laudes tantæ Principis, hæ anguſtiæ non capiunt. Breuem hunc ſepulchro inſcribe titulum:

Heroina fuit, bis Princeps, virtute & genere. Submiſsione nihil carius; arrogantiâ nihil habuit vilius. Nihil vnquam auerſari eſt viſa, præterquam vitia: omnibus cara, quia illi cari omnes: nullam calamitatem exoſa eſt, præterquam in proximo; ſua tantùm ferebat, ſentiebat etiam aliena. Pauperes ditabat vſque ad ſuam indigentiam: nunquam Matre dum vixit, caruit; ſed hæc erat Religio: quam dum illa de cœlo ſuas in terras transferret; hæc illam de terris ſuum ad cœlum tranſtulit, Anno 1628, 27 *Septemb.*


N 1615.
N 1619.
CUNEGUNDIS n. 1465. m. 1508. Albertus IV. Dux Bauari.
MAXIMILIANUS Imp. n. 1459. m. 1519. Maria Carol. Aud. D. Burgund. F
FRIDERICUS III. IMP. ARCHID AUSTR.
LAU RUS AUSTRI ACA.
Sabina n. 1492. m. 1564 Vlricus D. Wirtenb
Isabella Rª Dan n. 1501 m. 1525. Christiernus II R Dan.
PHILIPPUS I. R Hisp. n. 1478 m. 1506 Joanna Ferdi. Cath R Hisp F.
Margaretha Gubernat. Belgy n. 1479. m. 1530 Joannes R Aragonia Philibertus D. Sabaud
Christophorus Dux Wirtenb. Anna Maria Geor M Brand F.
Sidonia Philibertus Mar Baden.
Christina Franciscus D. Lotharing.
ALBERTUS V. n 1528 m 1579 Anna Ferd. I Imp. F
MARIA Arch. Aust. n. 1531. m. 1608 Wilhelmus Dux Jul Cliu. Mont.
FERDINANDUS I Imp. n. 1503 m. 1564 Anna Ladislai R Vng et Boh F.
Maria n. 1505. m. 1558 Ludouic. Rex Vng et Bohe.
Leonora n. 1498. m. 1558. Emanuel R Lusit. Francisc I R Franc.
CAROLUS V Imp. n. 1500. m. 1558. Isabella Emanuel R Portugal F
Catharina n. 1507. Joes. III R Portugal.
Sabina Wilhelmus Land. Hass.
Mar. Salome Georg. Ludou Land. Leuchteb.
Carolus D. Lothar. n. 1554.
Mar Leonora n 1550. m. 1608. Alb. Fridericus D. Boruß.
WILHELMUS Dux Bau. n. 1548. m 1626. Renata Francis D. Loth F.
ANNA n. 1552. Phil. Ludouic. Com. Pal. Rhe.
CAROLUS Arch. Aust. Maria Alberti D. Bau F
Leonora n. 1534. Wilhel. Gonza. Dux Mantuae
Ioanna Francisc. Cosm. M. D. Hetrur
Maximilian. II. Imp. n. 1527. Maria Carol. V F
Anna n. 1549.
Philippus II R Hispan
Maria n. 1527.
Ioannes Pr Portug. Joanna
CONSTANTIA n. 1588 m. 1631 Sigismun dus III. Rex Polo.
MAGDALENA n. 1587 m. 1628.
WOLFGANG WILHEL MUS
Ferdinandus II Imp.
Maria Henric. IV. R. Franc.
Rudolph Imp. n. 1552 m. 1612.
Ladislaus Rex Polon
Sigismund Ladislaus n. 1640.
Ferdinand Franciscus n. 1633.
Phil Bal thasar
Carolus n. 1630.
Delphin. n. 1638
R POLONIAE
IMPERATOR
ARCHID AUSTRIAE
R HISPANIAE
R ANGLIAE
R FRANCIAE
R et INF HISPANIAE

LAVRVS AVSTRIACA
AD
SERENISSIMOS PRINCIPES
PROPAGATA.

LAVRVM Auſtriăcam à *Friderico* Imp: Auſtriæ Archiduce &c. Imper. Romano auſpicamur. Qui virtutem in vitâ, quàm felicitatem ſibi propinquiorem habuit. Hieroſolymas pietatis causâ adijt, atque iſthîc præter deuotionis, etiam liberalitatis ſuæ reliquit veſtigia. Monaſteria ab illo erecta per Germaniam complura, ipſius etiamnum beneficentiam loquuntur. Omnem in bellis fortunam tulit, tanto animo, vt illam etiam victus ſuperaret. Ita illi nonnunquam fortuna, nunquam virtus defuit. Hoc tamen in felicitate ipſius iure numeramus; quòd ex *Eleonorâ* Portugalliæ Regis *Filia*, in cœteris *Maximilianum* ſuſceperit, Sereniſſimorum Principum *Philippi VVilhelmi* Tritauum, & *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Atauum, quem reliquit moriens Anno 1493, poſtquam imperaſſet 53.

MAXIMILIANVS I. Archidux Auſtriæ, Belgarum ac Burgundionum Princeps &c. Imp: Rom: Francofurti pronuntiatus, Aquiſgrani coronatus Anno 1486. linguarum multarum gnarus, ac tam facundus adoleſcens, quàm mutus puer. Dignitate omnes; humanitate vero vincebat, ac ſibi deuinciebat etiam ſingulos. De coercendâ liberalitate monitus, reſpondit: *Auſtriacorum eſſe ſua liberalitate diteſcere.* Ingenio habitus acerrimo eſt, vel ideo maximè, quòd in rebus arduis plus alijs tribueret, quàm ſibi. Muſicam amabat, quam illi tamen Mars ſæpiùs armorum, quàm Apollo Lyræ ſtrepitu concinnabat. Gallos, Vngaros, Belgas, Auſtriacos, Venetos, Heluetos bello terruit. *Maria Caroli Audacis* Burgundiȩ Ducis Filia, Belgicarum Prouinciarum hæres ei *Philippum* Hiſpaniarum pòſt Regem peperit; cui mortuæ *Blanca Galeatij Maria Sfortiæ* Mediolanenſis Ducis Filia diues 600000 aureorum ſucceſſit in thalamū, mox etiam tumulum. Imperator denique Isburgenſi Palatio ſurrigendo intentus, dum errorem illius videt ac damnat, feretrum ſibi mortuale ſubſtrui curat, domum, vti aiebat, ſibi certiorem: quam circumferens quinquennio, ingreſſus eſt, Anno 1519. Imperij 30. ætatis 60.

PHILIPPVS I. Rex Caſtellæ & Legionis, Burgundionum & Belgarum Princeps, Sereniſſimorum Principum *Philippi VVilhelmi* Atauus, & *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Abauus, cum *Ioanna Ferdinandi* Catholici Hiſpaniarum Regis Filiâ ampliſſimis regnis potitus eſt; ſed mors breui tantæ felicitatis poſſeſſionem inuidit, cùm illum Anno 1506. Burgis in Regno Caſtellæ extingueret. Hanc tamen illi reliquit gloriam, quam à virtutibus ac liberis habuit prorſus immortalem. Siquidem quatuor ipſe Reginarum, duorum Imperatorum parens, quorum obliuiſci non poſſumus. Prima *Eleonora Emmanueli* Luſitaniæ Regi, pòſt etiam *Franciſco* Francorum Regi nuptui tradita. Altera *Eliſabetha* Daniæ Regina, *Chriſtierno II.* iuncta, quæ ab exilio infelix videri poſſet, niſi Regem habuiſſet comitem. Tertia *Maria* Vngariæ & Bohemiæ Regina *Ludouici* Regis vxor, denique Belgij Anno 1530 Gubernatrix. Quarta *Catharina Ioanni III.* Portugalliæ Regi ſociata. Ceterùm

CAROLVM V. fratrem habuere *Philippi* primogenitum. Europæ penè totius Monarcham, Indiarum præterea atque Hieroſolymorum Regem, Pontificis Pauli III. teſtimonio Maximum. Hic decimo ſeptimo ætatis anno expeditiones bellicas adornauit; in Germaniam nouem: ſex in Hiſpaniam: ſeptem in Italiam; quatuor in Gallias: decem in Belgium: duas in Angliam: totidem in Africam mari vndecies remenſo. Vbicunque verò hoſtes, illîc & victoriam reperit; qui cum à nullo vinci poſſet, ſe denique ſuperauit, partitoque in Filium ac Fratrem regno atque imperio, vnam, quam vincere pugnando ſe poſſe deſperabat mortem, meditando ac ſponte ſuccumbens in Eremo vixit, Anno 1558. Tanto *Philippus VVilhelmus* Patruo maximo, & *Anna Catharina Conſtantia* Patruo maiore etiamnum felices cenſeri poſſunt.

FERDINANDVS I. Imper. Rom. Vngariæ & Bohemiæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ &c. *Philippi* Filius, *Caroli* frater, Sereniſſimorum Principum *Philippi VVilhelmi* Abauus, *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Proauus. Inter Hiſpanos educatus *Annam Iagellonicam, Ladulai* Vngariæ & Bohemiæ Regis Filiam vnicam vxorem duxit Anno 1521. Vtrumque vero regnum, *Ludouico* affine bello contra Turcas ſublato, ex maiorum ſuorum conuentione ac pacto cum Sileſiâ, Morauiâ & Luſatiâ adijt. Coronam ab vtrâque gente delatam, vno codemque anno 1527 ſuſcepit. quartò poſt anno Coloniæ Vbiorum in Regem Romanorum delectus, ſubinde Anno 1556 cedente *Carolo*, imperium pleno iure adminiſtrare cœpit. Bellis contra Turcam in Vngaria non infeliciter adminiſtratis celebris. Obluctante nequicquam *Ioanne Sigiſmundo* Tranſiluaniæ Principe, qui ſpe atque armis Vngariæ inhians illaudato fœdere ac clientelâ Turcarum auxilia ſibi copularat; at præter ſeruitutem nullum aliud præmium habuit. Wirtenbergæ Ducatum titulo ſucceſſionis, & iure clientelæ ſibi obnoxium, ad ſuam familiam reduxit. Quindecim ex

Annâ

Annâ liberorum parens tanto felicior, quantò ex ijs plures in diuerſis Parthenonibus cœlo iam viuentes, ſe conſecrarunt; ne morientes exciderent. Præter *Maximilianum* etiam binas Poloniæ Reginas *Eliſabetham & Catharinam Sigiſmundi Auguſti* Coniuges, genuit, *Carolum* item Auſtriæ Archiducem. *Mariam & Annam* Sereniſſimi Principis *Philippi VVilhelmi* proauias; quarum hæc *Alberto* Bauariæ, illa *VVilhelmo* Iuliæ &c. Duci tradita. Mors ab illo imperium tranſtulit Anno 1564.

MAXIMILIANVS II. Patris in Imperio, & Vngariæ ac Bohemiæ Regnis ſucceſſor, Sereniſſimæ *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Auũculus Magnus; cui prima militiæ tyrocinia ſub Patruo Cæſare poſuiſſe, ad victorias deinde ac belli fortunam aditum muniuit. Hiſpaniæ regnum *Philippi* loco aliquamdiu moderatus, trium deinde regnorum coronas Vngarici, Bohemici, & Romani, vno propemodum anno 1563 delatas, accepit. Polonicam verò coronam Procerum ſtudijs exhibitam recuſauit fortius, quàm cœteras acceperat. Vxorem habuit *Mariam Caroli* Cæſaris Patrui ſui Filiam; quâ neſcio, an orbis nobiliorem viderit, vt quæ maximorum Imperatorum Abneptis, Proneptis, Filia, Vxor, Nurus, ac Mater eſſet. Ex illa enim XV. prolium parente, Reginæ duæ, *Anna Philippi II.* Hiſpan: Regis, & *Eliſabetha Caroli IX.* Franciæ Regis Coniuges, *Rudolphus, & Matthias* Imperatores: vna tamen re infelix, quod ex tam fœcunda matre proles infœcunda extiterit. Abijt de vita *Maximilianus* in ipſis Ratisbonæ Comitijs poſtquam ex ſuo, in *Rudolphum*, capite triplicis regni Coronam vidit tranſlatam Annò 1576.

CAROLVS *Maximiliani* frater *Ferdinandi I.* Filius, Auſtriæ Archidux, Dux Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Gorizij Comes &c. Sereniſſimorum Principum *Philippi VVilhelmi* Patruus maior, & *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Auus Maternus, natus Annò 1540. Viẽnæ vxorem duxit *Mariam Alberti V.* Bauariæ Ducis Filiam, & ex *Anna* ſorore ſua neptem; ex qua Auſtriacum ſtemma felici incremento propagatum eſt. Nam præter *Ferdinandum II.* tres Reginas procreauit, quas vbi de *Caroli* ſorore actum fuerit recenſebimus.

MARIA *Caroli* Soror Sereniſſimi Principis *Philippi VVilhelmi* Proauia, nata Pragæ, *VVilhelmo* Iuliæ, Cliuiæ, ac Montium Duci Ratisbonæ Anno 1546 nupta. In cuius Matrimonij gratiam *Carolus V.* Imper: Patruus, priuilegium ſucceſsionis, vbi maſcula proles deficeret, Filiabus impertijt. Vnde filijs poſtea *Carolo*, & *Ioanne VVilhelmo* morte ſublatis, ius Ducatuum Filiabus adhæſit. Quatuor hæ erant. Prima *Maria Leonora Alberto Friderico* Boruſsiæ Duci nupta, ſed Anno 1608 abſque prole maſcula extincta. Altera *Anna Philippo Ludouico* Comiti Palatino Rheni coniugata, ex qua Matre *VVolſgangus* Sereniſsimus Princeps ius in Iuliam, Cliuiam ac Montes poſsidet. Tertia fuit *Magdalena Ioanni* Bipontino Duci: Quarta *Sibylla Carolo* Burgouiæ Marchioni ſociata. Nunc ad *Caroli* Archiducis liberos redeamus; in quibus dignitatis prærogatiua primus eſt

FERDINANDVS II. Imper: Vngariæ & Bohemiæ Rex, Archidux Auſtriæ &c. Sereniſsimæ *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Auunculus, Græzij natus 1578. *Mariam Annam VVilhelmi* Bauariæ Ducis Filiam, & Sereniſsimi Principis *Philippi VVilhelmi* matertaram annò 1600 primam vxorem duxit. *Matthiæ* deinde Cæſaris auſpicio, *Alberto & Maximiliano* patruelibus vltrò cedentibus, Bohemiæ Rex inauguratus eſt Anno 1617: cui anno proximo Vngariæ, denique 1619 ſub *Matthiæ* obitum imperialis corona, inſigni orthodoxorum omnium gratulatione, acceſsit. Grauiſsimam in Imperio bellorum tempeſtatem pertulit; neque vllo aduerſarum rerum fractus impetu, Pietatem ac Religionem conſtantiſsimè tuitus eſt atq etiãnum mortuus in ſimillima ſibi ſobole FERDINANDO III. tuetur. Eius porrò virtutes ac victorias, quas aut libri calamo, aut Germania tota fuſo hoſtium ſanguine ſcriptas retinet, ita ſtrictim non licet attingere. Satis ſit, duabus illum rebus aduerſarios ſuperaſſe omnes, Armis & Clementia; tertium adieciſſe, quo ſe ipſum etiam vicit, Pietatem. Vbi optimi parentis, optimum vidiſſet regnare Filium. FERDINANDVM III, oculos Anno 1637 clauſit, tanquam nihil gratius deinde in terra viſuros. Nunc de cœlo eoſdem aperire crediderim, vt felices neptis *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* ex *Conſtantia* ſorore nuptias intueatur. Filias habuit *Mariam Annam*, *Maximiliano* Bauariæ Electori Anno 1635 iunctam; & *Cæciliam Renatam Ladislao* Poloniæ Regi, *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Fratri Reginam & coniugem datam. Sorores ex *Carolo* parente habuit *Margaretham Philippi IV.* Hiſpan: Regis Matrem & *Annam Ladislai* Polonorum Regis ex *Sigiſmundo* parentem. *Conſtantiam* quoque eidem *Sigiſmundo* Poloniæ Regi poſt Sororis obitum thalamo ſociatam, Sereniſs: Principis *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Matrem. De qua Oliuam Polonicam conſule.


REGES ET PRINCIPES POLONIAE ET SVECIAE
R. ANGLIAE
R. HISPANIAE
R. FRANCIAE
R. HISPANIÆ
ARC AVSTRIÆ
R POLONIÆ
N. 1615
N. 1619.
MAGDALENA
WOLF WILHELM
CONSTANTIA
SIGISMVNDVS III.
Christina
CAROLVS Arch
Maximilianus II. Imp.
ANNA Ferdinandus I. Imp. R. Vng. Boh.
Anna Stephanus Battorius R Pol.
Gustaus R. Sueciæ
Barbara
Sophia
Fridericus
LADISLA
S. Casimirus
SIGISMVNDVS R
Jo. Albertus R. Pol.
ALEXANDER
Anna
Elisabetha
Hedwigis
CASIMIRVS. R
Pol. n. 1427. m. 1492.
Elisabetha Alb II. Imp. F.
OLIVA POLONICA

OLIVA IAGELLONIA
SERENISSIMIS CONIVGIBVS
EXPLICATA.

IAGELLO Magnus Lithuaniæ ac Ruſſiæ Dux, Sereniſſimæ Principis *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Atauus, Sereniſſimi *Principis Philippi VVilhelmi* Tritauus Maternus, ad Poloniæ Regnum & *Hedvvigis* Reginæ thalamum eâ lege admiſſus eſt, vt cum eâ Religionem Chriſtianam amplecteretur. Quod cum non inuitus faceret, *Ladislai* in fonte Baptiſmi nomen, in regno Coronam accepit. Quâ acceſſione, non modo hæreditarias ſibi ditiones Poloniæ; ſed & Eccleſiæ ampliſsimam gentem, Ducis exemplo, ad fidei ſigna traductam, adiecit. Vir fuit non tam in armis metuendus, quam togâ amandus. Crucigeri non leuem ipſi vt bellandi, ita & vincendi ſæpius obtulêre materiam. Ne tamen inuictus crederetur febris illum lethaliter proſtrauit Anno 1444. Ex quarta vxore *Sophiâ* Kiouiæ Ruſſi Ducis Filia, præter *Ladislaum* contra Turcas occumbentem, Alterum Filium habuit

CASIMIRVM Magnum Lithuaniæ Ducem Sereniſſimi Principis *Philippi VVilhelmi* Tritauum, & Sereniſſimæ *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Abauum; qui fratre Polonorum iam Rege, vt dixi, ſublato, multis ad regnum precibus ægrè admodum pertractus eſt; quod tamen, vbi Anno 1447. defendendum ſuſcepiſſet, tantâ virtute tuitus eſt, vt hoſtes ceteroquin timendos, ſpe primum vincendi deſtitutos, pacis deinde artibus ſibi adiunxerit. Ex his *Stephanum* Walachiæ Palatinum habuit, Turcarum & Tartarorum ſæpius victorem, qui tamen Poloniæ Walachiam vectigalem eſſe; quàm inimicam maluit. Boruſsiam obluctantem armis perdomuit, & partem ex hac aliquam Crucigeris poſt 13 annorum bella cum pace indulſit. *Eliſabetham Alberti II.* Imper: Filiam multis prolibus parentem fecit, in quibus

CASIMIRVS Sereniſsimæ *Annæ Cathar.* Patruus maior ab Vngaris ad Regnum poſtulatus, ſanctitatis famâ illuſtris, at præmaturo morbo Anno 25. occupatus, vitæ maluit, quam Medicorum conſulto pudicitiæ iacturam facere. Dignus proinde, qui à Leone X. Pont: Max: Sanctorum catalogo accenſeretur. *Ladislaus* Filiorum alter, de quo priuſquam ad reliquos *Caſimiri* Filios tranſeamus paucis diſſerendum eſt.

LADISLAVS *Caſimiri* Filius, *Sigiſmundi* Primi Polonorum Regis & Sereniſsimæ Principis *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* proaui Frater, Sereniſsimi *Philippi VVilhelmi* Atauus, Bohemiæ atque Vngariæ Rex, Princeps erat in quo regias nemo virtutes, id eſt, Æquitatem ac Clementiam deſiderauit; arma non niſi impulſus neceſsitate ſumpſit; oliuæ, quàm palmæ amantior. Ex *Eliſabetha Vaſconis* Comitis de Candala & Foix Filiâ, *Eliſabetham*, alij *Annam* vocant, ſuſcepit; pòſt ex pacto de Vngariæ ſucceſsione cum *Maximiliano* Impera: inito, Nepoti illius *Ferdinando I.* traditam: qui deinde *Ludouico Eliſabethæ* Fratre defuncto, Vngarici regni poſſeſsionem adijt. Porro *Ferdinandus* ex *Anna Eliſabetha* Sereniſsimi Principis *Philippi VVilhelmi* Abauiâ, alteram *Annam* ſuſtulit Sereniſsimi Principis Proauiam, *Alberti V.* Bauariæ Ducis coniugem; quo ex thalamo fuit *VVilhelmus* Bauariæ Dux, *Magdalenæ* Parens, ex quâ Sereniſs: Princeps *Philippus VVilhelmus* oritur, de his palmam Boicam conſule. Hinc igitur ad Sereniſsimæ Sponſæ lineam natalem redeamus.

SIGISMVNDVS I. *Caſimiri* Filius, *Ladislai* Frater Sereniſsimæ Principis *Annæ Catharinæ* Proauus, poſt *Ioannem Albertum* & *Alexandrum* Fratres regno ac fato defunctos, Poloniæ cum ſummâ poteſtate præfuit, bellis contra Barbaras nationes exercitatiſsimus, Tartarorum ingentem vim pertulit magis, quam oppreſsit. Scytharum bis victor. Aliquot Walachiæ Palatinos pacis fœderumque neglectores ſuâ virtute, & illorum damno, ad ſaniora ſeruitutis conſilia reduxit. Mortuus Anno 1548. Ex *Bona Sfortia Galeatij*, Mediol: Ducis Filiâ

SIGISMVNDVM AVGVSTVM II. reliquit regni hæredem, qui naturâ ac viribus fractior, ex tribus quas habuit vxoribus, prolem nullam vidit. Quocirca poſt *Henricum Valeſium*, & *Stephanum Bathorium* Reges, ex *Catharina Sigiſmundi I.* Filiâ Sereniſsimæ Principis *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Auia & *Ioanne Sueciæ* Rege natus Filius ſucceſsit

SIGISMVNDVS III. Rex Suecorum hæreditarius, Poloniæ Regno Anno 1587 inauguratus, Sereniſsimæ Principis *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Pater. Bellorum fulmen, & hoſtium omnium terror. Pluribus in regno victorijs; quàm annis celebratus. Ruthenos ſui arbitrij factos, primò arma, deinde & perfidiam iuſsit deponere, plurimis ad orthodoxam religionem traductis. Hoſtibus Liuoniam liberauit. *Michaelem Macedonem*, occupatâ iam Tranſiluania exultantem, ſpe etiam, atque audacia toti Poloniæ imminentem, armis atque animo deiecit Nobilitatis potiſsimum, ex qua integer confluxerat exercitus, viribus fretus. Moſchouitas inquietum ac Barbarum hominum genus, multitudine atque inſolentia elatũ, aliquot annorum prælijs, ac victorijs ad inſignem paucitatem redegit, infinitis prope hominum millibus internecione ſublatis. Magnũ Moſchorũ Ducẽ *Baſilium*, Regia ipſius vrbe capta atq; euerſa, deniq; in ſeruitutẽ ac vincula cũ Germanis duobus Fratribus coegit, qui tũc deniq; Magno *Moſcho* Maiorẽ Polonũ faſſus eſt. Coniuratũ in Polonorum excidiũ, Turcarũ ac Tartarorum innumerabilẽ vim, nullo ipſe externorum Regum fultus præſidio, ita contra ſeuenientem excepit; vt admirabili fortitudine ter centũ profligarit

fligarit hoſtiũ millia; ac documento fuerit Chriſtianis omnibus, nullâ re melius aduerſariorũ ferociã, quàm virtute, ac pietate debellari. Quibus Archiſtrategus ille clypeis munitiſſimus ſemper in hoſtẽ ſtetit. Digna nimirum illa Chriſtiano Principe vox erat, quæ Pſeudoepiſcopis Coſaccorum Eccleſiæ bona, quondam ab ijſdem poſſeſſa, rogantibus, audita eſt: *multò ſe mori malle, quàm quicquam diuinæ gloriæ atq; orthodoxæ fidei aduerſarium ſtatuere.* Extinctum in morte eſt illud *regni atq; Eccleſiæ lumen* Anno. 1632. 30. Apr: *illuſtriſſimum, oppreſſis hoſtibus erectis tropeis: Aris, templis, ſacris, vindicatis, extructis, dicatis. Profligatâ hæreſi, auctâ religione, Eccleſiaſticâ libertate defenſâ: Semper Clemens, Felix, Victor, Pius.*

ANNA *Caroli* Auſtriaci filia *Ferdinãdi II.* Soror, *Sigiſmundi III.* prima Vxor, *Vladislai* Regis hodiedum Polonis Imperantis, Mater, hoc loco præteriri non debet. Nata Anno 1573 nupta 1592. admiranda Princeps integritate morum. Primam ex ſacro fonte innocentiam ad mortem deduxit integram. Ex conuiuijs, choreis, nuptijs, Perſonis Regijs vnde omnes voluptatem, ipſa nullam niſi caſtè delibabat. Diem illa totum ita viuebat, vt cum ſuperis orando, potiſſimam eius partem iucundiſſima familiaritate tranſigeret. Meditatio ſuum ſibi in die vendicabat locum, quam de paſſione quot Veneris diebus inſtituerat. Horas *Deiparæ* Canonicas & Roſarij, vt vocant, quinies, ſeptieſue decurſi preces imperato ſibi penſo exſoluebat. Quot ſeptimanis ſacræ menſæ pro more accubuit, ſacrificijs etiam pluribus aſſiſtere quotidie ſolita; neque interea vllam quantiuis momenti interpellationem eſt paſſa. Parthenonem magis Virginum; quàm aulam inſtruxerat; in qua nocturno tempore ad orationes & flagella ſeſe pediſſequæ ſubducerent, & nulla eſſet niſi de virtute contentio. Coniugis vti aiebat ſui fidelitatem, ac limpidiſſimum animum caſto amore complectebatur. Præter quem ita amabat ac fouebat mendiculos, vt illius quidem coniux, horum mater dici poſſet. Tutelarem ſibi Diuum in menſes ſingulos alium pro Sodalitatum *Deiparæ* Sacratarum more ſortitò deligebat, cui dum inſcriptam ſententiam acciperet, *Memento homo quia puluis es* &c. ceu mortis commonita omnibus ſe munijt ad obitum Sacramentis, ac diſceſſit è vita Anno 1598. *Pietatis, Religionis, Innocentiæ, Clementiæ, Modeſtiæ, Caſtimoniæ,* verbo, *Virtutis ſpeculum.*

Horum, Tu Parentum VLADISLAE Rex Inuictiſſime, natus es Anno 1595 *Filius, Fortitudinis in Patre, Clementiæ, Prudentiæ, Victoriarũ, Felicitatis: In Matre Pietatis, Innocentiæ, Manſuetudinis: in vtroq; Religionis ac Sanctitatis hæres digniſſime, viue felix, diu regna.*

CONSTANTIA *Annæ* Soror altera Sigiſmundi III. diſpenſante Pontifice Coniux. Nata anno poſt Chriſtum 1588. Regi iuncta 1605. Nihil magis in vita quam nominis ſui veritatem expreſſit re atque appellatione, *Conſtantia*, Sereniſsimæ Principis *Annæ Catharinæ Conſtantiæ* Mater, Regem ſuum in rebellione contra illum excitata, per aduerſa omnia ac proſpera conſtanter inſecuta, omnem viarum locorumque iniuriam pertulit: nunquam de fortunæ acerbitate queſta: quæ illi cum omnia penè adimeret animi tamen reliquit *Conſtantiam*. Omnium ſe egere ſæpe maluit, vt abundarent alij. Exploratores ſubornabat vt D. *Nicolai* exemplo puellarũ inopiam à ſcelere ac deſperatione, ſubmiſſa dote defenderet. Et vt alijs inter paupertatẽ ac verecundiã extrema ferentibus, ſolatio eſſet: ſuũ adeo lucrum interpretabatur, inueniſſe, in quos piè opes ac munera prodigeret. Pietas in illa ſingularis eminebat, & ſacrorũ reuerentia. Quot diebus ſacerdotibus duobus ad aram operantibus, deuotè adfuit. Horarum ſibi etiam Canonicarum penſum indixerat. Venerabile Sacramentum Auſtriaca religiône colebat. Proceſſiones DEO Diuorumque cultui inſtitutas Comes indefeſſa proſequebatur: qua etiam pietate, cum in Corporis Chriſti ſolennitate febrile malum contraxiſſet, ad cœlum breui tranſijt Anno. 1631 Optimæ Filiæ atque ad omnẽ virtutẽ excultæ *Mater optima, aulæ Speculum, Reginarum Idæa, Inopum perfugium, Bonorum amor, Religionis decus, rerum ſecundarum contemptrix, aduerſarum victrix, opum ac vitæ pro ſubditis ac Deo prodiga. Breuiſsimè: re & nomine CONSTANTIA atque ipſius parens CONSTANTIÆ.*

L II.

II. CLYPEVS IMAGINE SERENISSIMI PARENTIS VVOLFGANGI VVILHELMI EXPRESSVS.

SEnecam ad extrema deductum amici,& ſanguine proximi conuenerunt, vt ſibi, ſuiſque teſtamenti tabulas conficeret. Hîc vir ampliſsimæ familiæ,ſed amplioris prudentiæ; *Aurum & Argentum quod ſcribam? vita mihi virtutibus & ſcientiis excolendis defluxit, opes non aggeſsi; vitæ tamen meæ ſingulis Jmaginem conſigno.* Opulenta hæreditas; clauem habet induſtria,ideo paucis adita; ſigillum virtus imprimit: paucis cognita eſt.Ita Tecum ſtatue, SEREN.^me PRINCEPS, Imaginem Parentis,quam in hoc *Clypeo Genius* pingui &craſſâ tantùm Mineruâ exprimit locupletiorem eſſe Theſaurum, quàm ſint tot regiones,Prouinciarum Tuarum hæreditas.Dixit non nemo: *magna gloria poſteris lux eſt;at Chriſtiana parentum vita,filiis ſol eſt.* Eſt in Familiâ Tuâ ſplendor;maius Tibi à Genitoris exẽplo lumen oboritur; dicere Te illud quidem *Scipionis* apud *Saluſtium* audio: *vehementer Te accendi ad virtutem imagine Maiorum,ſatis tamen eſſe ad hunc ignem ſolius Patris exemplum*, tantò ardentius; quantò viuacius: tantò potentius; quantò propius ex ijſdẽ ſanguinis lineamentis. Senſit id iam ante Te *Boleslaus III.* Bohemiæ Rex longè pijſsimus.Is ne quid indecorum parẽtis exemplo ageret, imaginem *Boleslai II.* Optimi & Chriſtiani Regis, ac Patris è collo ſuſpendit, altiùs interim pectori impreſſam. Quantum hoc lumine Patris adiutus Filius? Quadragies ter explicatâ acie cum hoſte conflixit: nunquam illum fortuna deſtituit radio Parentis affuſum. Non ego Te hîc ad alienas *imagines*, cum *Alexandro* ad *Achillem*, cum *Cæſare* & *Scipione* ad *Alexandrum* remitto;domi habes, non tantùm in aulæis,&vermiculatis tabulis;verùm etiam in viuo *Parentis* vultu.Si *Pietatem*,& *Religionis* ſtudium in Principe ſpectare deſideras: vide *Parentem* omnes curas ſeponentem,& toto ſe corporis niſu erigentẽ,vt lapſæ per Prouincias Religioni manus porrigat. Eâ in rẽ Collegia *Societati* noſtræ erexit quatuor,Neoburgenſe,Düſſeldorpienſe,Marcoduranum & Monaſterio-Eiffliacum,præter varia domicilia,varijs in locis temporum neceſſitati excitata. Viſus eſt non ſemel fidei noſtræ myſteria agreſtem plebem palàm docere,& heterodoxos multis argumentis ad ſaniorem Eccleſiæ doctrinam inuitare.

tare. Arces illius in ſacris videmus ædibus extructas. Patrem in Principe obſeruant Religioſi, & Pauperes. Venationem & omne laxamentum Principis, cauſis tractandis confert, querelas diſſoluit ſolatio, iniuriam auxilio comprimit. Eâ ſollicitudine Religionis negotia complexus eſt, quâ hæreditatis iura. Cætera quæ oculis quotidie accipimus pietatis exempla, in imagine non pono. Quis priuatus ciuis, quis Religioni adeo ipſi adſtrictior, aris conſtantiùs adhæret? In cœtum Marianorum Sodalium non tantùm aſſcribi voluit; ſed & omnium ſuffragijs decretum Præſidis officium, ſummi honoris & beneficij loco admiſit; illudque perelleganti Oratione latinè dictâ auſpicatus, omnem operam ſuam honori magnæ Matris ampliando obtulit, & poſthabitis aulæ negotijs, eidem ſe ſtatis diebus impendit. Quid de *Prudentia* eius? *Excellentibus ingenijs*, dixit *Liuius*, *citiùs defuerit ars quâ ciuem regant, quàm quâ hoſtem ſuperent.* Vtrumq; habet *Pater* in ſapiente illâ mentis abundantia, qua plurium ſibi manus vincit. Vidiſti vt ipſe Orationes, Legationes, ſcripta & reſponſa excipit lingua Hiſpanica, Italica, Gallica, Latina, Germanica: quibus omnibus pari facundia, quà promptitudine affluit, nec erudito vigori adrepens ſenium quicquam ſubtrahit: tam conſtantes illos Palatinos Spiritus artibus miſcuit, & ſcientiæ immerſit. Quando laxata eius eloquentia, qua pauci pares ei referuntur, ad iuris comprehenſionem ſapientiamque accedit, non propè ab oraculo conſulta & reſponſa enuntiat, vno radio totum Concilij chorum illuſtrat, & tamen quo delectu Conſiliarios ſibi adſciuit? Illa tamen mentis perſpicacia ad nullum rigorem ſe contrahit. *Clementia* Ius admetitur. Quàm capax conſiliorum ingenium, tam plenus miſericordiæ animus. Plures ſæpè libellos ſupplices excipit, & perlegit; quàm vllus priuatus Iudex velit. Francorum cuidam Regi id amori fuit apud ſuos, honori apud poſteros; quot diebus horam tribunali miſerorum dediſſe: *Patri* ſępe totus ita dies expenditur. Nulla illi importuna hora, quę pietatis exercitia ab illo exſpectat. Quot greges pauperum illi circumfunduntur; cum è palatio in publicum prodit? ipſe ærariũ circumfert, ipſe manu ſua ſtipem porrigit, nec pauperum lacerna Principum trabeam dehoneſtari cenſet. Tam Chriſtianè, quàm longè à ſe iam dudum reiecit faſtum illum gentilium, Maieſtatem ex longinquo maiorem reputantiũ. Auderéntne tanti Principis conſpectum ſubire tam propè miſeri, egeni, laceri, ſqualidi, iſto ſplendore Nobilium & Procerum comitatu perculſi, niſi *Serenitas* illius & Chriſtiana mititas vltrò ad ſe accerſeret? Ità beneuolentia Maieſtati permixta eſt, vt amori intra

 ve-

venerationem locus ſit;&,quod in ſanctiorem vitam profeſſis laudi ducitur,nemo eum vnquam vidit vino intemperantem:nec immodicè ab eo alios ad capaciores cyathos vrgeri. Lege *Balduini* Comitis,& *Bizantini* Imperatoris Palatium obſepſit,nec limina ab incontinenti & ebrio teri patitur. Facit hoc eius *Temperantiæ amor* tam ſingularis, quàm conſtans & immutatus: *Fortitudo* inuicta, quæ vti ex illecebris intaminata eminet, ita Principem ſupra humana euehit. Quantò putas robore animi fuiſſe opus inter tot aduerſa? leuiora hæc omnia fuiſſent, ſi communi tantum malo illata veniſſent. Imber ille acerbiore procella incuſſus grandinem ſoluit; at tam conſtantem Serenumque vultum, quia *Sereniſſimus Princeps* erat, obiecit; vt non tam ſua, quam aliena pati videretur. Iam nubem illam calamitoſam aëri inſidentem tanquam ex pluuio Orionis ſigno præuidit exinde, quo Catholicæ Religioni accenſeri cæpit. Sæpe illud interea memorans: in alia Fide omnia ſe proſpera ſenſiſſe, bellum, fortunamque publicam priuatamque, potentiorum ſtudia, fauoris vela, affluxum omnium. Vbi verò Eccleſiæ nauim ingreſſus eſt, illico ventos, velaque conuerſa, atque inde continuis adhuc fluctibus concuti: perinde ſi Principis Catholici ſit & fortiora agere & dura pati, nec iam eodem nauigio fortuna & religio vehi poſſint. Iam Symbolum illud ſuum cum ſcuto gentilitio altius attollere poteſt. IN DEO MEA CONSOLATIO.

Scuta laboratis dum ſpectas fulgida ſignis,
Illuſumq; aurum ſculpta per ora Ducum.
Magna Palatinæ ſtirpis Boiæq; Tropea
Conſpicis, & longæ poſteritatis auos.
Conſule nunc tabulas, poſitoſq; ex ordine vultus,
Ante omnes ſola eſt Patris imago *tua.*
Hæc tot virtutes penè explicat vna quot omnes,
Vnaq; præ reliquis viua renarrat auos.
Conſcribunt alij tabulas, ſignantq; ſigillo,
Hæc vbi ſcripta, Tibi ſanguine picta fuit.

III. CLYPEVS
SPONSI & SPONSAE
EFFIGIE CLARVS.

NIhil hoc æuo noſtro familiarius, quàm amantûm vltrò citroq; imagines tranſmitti. Vidit & *Genius* Tuus præcelſam Tuam, *Sereniſſ: Princeps*, indolem, fluenteſq; ex eâ dulciſſimos mores tanquam limpidiſſimis fluuijs euagantes ex argenteo fundo riuulos; vidit ætatis florẽ, quæ ex dignitate ſtemmatis, ortuq; natalium in iſtam conueniens amplitudinem fortunamq; Tuam huc vſque Te comitata fuerat, ſtudio Principum, Cæſaris gratiâ, ſanguinis claritudine: id ſi vnquam, tum vel maximè videre licuit, quando Viennam primùm acceſſiſti, tunc omnium oculi in Te, vt in *Themiſtoclem* ludos Olympicos ingredientem conuerſi: præmiſerat fama fulgentiſſimum Germaniæ, atque adeo Iuuentutis Principem: vbi aduéniſti, maiora rumore oculi omnium acceperunt, ex forma, decore, vultu, corporis habitu, morum elegantia, ſpecie prope ſupra principem ſpectabili, quibus auctoritas, ſplendor, grauitas, & iudicij ſupra ætatem vigor ita permiſta erant, vt quantum iſta amoris, tantum hæc admirationis omnium animis inſererent; Exceptæ ſunt voces ex affluentis ad te populi concurſu: *rarò à ſe viſum ea ætate, moribus & virtutum omnium ornamentis Principem, cui ſi Imperium daretur Prouinciarum, ſolo aſpectu omnium animis illapſurum; ſi Sponſa quæreretur, virtutum pretio oblatam magis, quam ambitam habiturum.* Selecta tandem eſt *Sereniſsimo Principi Sereniſsimi Regis Poloniæ* vnica ſuperſtes Filia *Anna Catharina Conſtantia*, minor annis, virtute ſuppar, regio ſplendore maior, orta *Patre Sigiſmundo* Auguſto, inuicto, & Sapientiſsimo Poloniæ & Sueciæ Rege, à quo & *Vladislaus* Poloniæ Rex glorioſiſſimus, hæres paternarum virtutum & victoriarum cum Fratre *Caſimiro*. Mater *Conſtantia* Regina fuit, *Caroli* Archiducis Auſtriæ Filia, *Ferdinandi II.* Imperatoris, & *Margarethæ* Hiſpaniarum Reginæ ſoror. Ex hoc regio, & Imperatorio ſtemmate eſt *Anna Catharina* Virgo, *Philippo Comiti Palatino Duci Juliæ Cliuiæ & Montium, Principi Neoburgico* conſanguinea, ex Palatino,

Boio

Boio & Auſtriaco ſanguine. Sponſa, exquiſitis naturæ & virtutum dotibus, præter Regias opes & paternam gloriam formoſa, caſta, pia, à quâ nihil ad conſortis vitæ dulcedinem & felicitatem præter prolem deſiderare fas eſt; ita omnia cum Regiâ filiâ in thalamum conuenerunt, vt nec aliam *Philippus* nec aliũ *Conſtantia* ſeligere potuerit. Vnicus eſt *Philippus* ex *VVolfgango VVilhelmo* & *Magdalena*. Vnica *Conſtantia* ex *Sigiſmundo* & *Conſtantia*. Vnicum hunc connubij nexum ſanguinis amor, generis decor, cognata virtus, & auita Religio petijt. Qualem ſe *Sigiſmundus* in *Vladislao* & *Caſimiro*, talem ſe *VVolfgangus* in *Philippo* expreſſit; qualẽ *Conſtantia* in *Conſtantia*, talem *Magdalena* in *Philippo Filio* pietatem ſui poſthumam reliquit. Nullam aut aliam *Conſtantia* Filiam, *Magdalena* Filium datura fuiſſet; ſi aliò nuptiæ trahi debuiſſent: vnicam dederunt prolem, quod vnicæ prolis connubium ex voto Religionis vnice ambirent: ideo *Genij*, cœleſtes pronubi, tam remotè vltrò citroque deſtinati Legati manus tandem veſtras iunxerunt. Quicquid humana cõſilia aliò & aliò diſtrahunt id demum ſapientiſſimè Dei fauor collocat.

CONSTANS ET FIDELIS ERATO

EFFIGIEM SVI IN CLYPEO EXPRIMIT.

QVò te traxit amor, quò te meus abſtulit error,
Quæ tibi tam longæ meta, Philippe, *viæ?*
Illa ego ſi caſti caſtus ſum limes amoris
Sponſa, labor precium nouerit ipſe ſuum.
Ecce riget brumale gelu, campique pruinis
Canent, & glacie flumina cogit hiems.
Omnia deformat pluuijs ingratior annus,
Et ſolito cœli fœdior ira cadit.
Adde quod inſideant fluuioſque agroſque pericla
Rara migraturis eſt ſine cæde via.
Vix licet expoſito dubium pede prendere littus,
Quin ferus à tergo vulnera prædo ſecet.
Et tamen hæc noſtri penetrauit cura Philippe,
Extremoque mihi limite feſſus ades.
Hic vbi Hyperborei riget inclementia cœli,
Informeſque agros ſæuior vrit hiems.

Nil

Nil te tot nimbi, ventique, niueſque moratæ,
Inſecuit medium feruor anhelus iter.
Frigus erat; ſed maior erat tuus æſtus amoris:
Vrſa niuoſa foris; Sirius intus erat:
Veſtis erat tua mille niuis circumflua floccis!
Quid niſi, quàm niuei ſymbola amoris erant?
Membra tibi pluuijs ſtillabant imbribus vda,
Vda magis nabant corda liquore mihi.
Tædia ſi fuerint tibi longa, Philippe, *viarum*
Crede mihi tecum conſtitit vſque labor.
Tunc ego viſa mihi non ſum Catharina *ſerena;*
Quam tamen addixit Diua ſerena tibi.
Hæc ita tranſierint nobis, vt lætior imbre
Pulſo Phœbus adeſt, & ſine nube dies:
Si modo te viſum noſtris infuderis oris,
Intuleritq́; tuum lumen amica dies.
Protinus aſpectu thalamusque dieſque ſerenus
Stabit, & abſterſus ſudor ab ore fluet.
Hæc mea iam toties Te vota, Philippe, *fatigant,*
Queis ſi forte grauis, ſum grauis ipſa mihi.
Poſſe putas errare tuis connubia tedis
Dum me quærit amor, ſe quoq; quærit amor.
Vnica progenies ſumus Auſtria, traduce ſtirpe,
Vnâq; in thalamum ſtirpe redibit amor.
Vnica tu ſoboles & ſpes veſtræ vnica terræ,
Vnica ego Regis Filia, ſponſa tua.
A te ſi toto diſiungerer orbe reuulſa,
Vincla tamen noſter quærere poſſet Amor:
Et cupis ignotos mihi circumducere amores,
Et tecto Sponſam ſchemate Sponſus adis,
Sponte ſua natos vis excruciare dolores,
Quos ægre increſcens ſuſtinet ipſa dies.
Ardua res magnos bene diſsimulare calores,
Riualesq́; habitu fingere poſſe dolos.
Ferrea ſim quamuis iam me Magneſia leuit
Affrictu, & tacito fœdere ſponſa ſequor.
Vſque, Philippe, *Poli ſidus trahit vſq; Polonum,*
Vſque meus ſequitur, ſanguis & vſque Tuus.
Auſtriaca hæc nobis vis inſita pectore ſedit,
Ex quo nos primum ſuſtulit orta dies.

Pes

Pes tuus in noſtras nondum tranſcenderat oras;
Iam mihi præſago ſanguine vena micat.
Fœdus erat, pepigitne Deus, pepigitne latenti
Vi natura ſuâ, neſcio fœdus erat.
Exul eras, iam notus eras, mihi crede per omnes
Viſa dehinc tecum ſum Comes ire vias.
I nunc, mille alios ex te tibi finge Philippos,
I nunc magnanimum contege veſte Ducem.
Nulla Palatinum fraus ingenioſa Philippum
Subtrahet: in noſtro teſſera corde ſedet.
Poſſe latere putas tam celſas indole dotes,
Auſtriacum ſidus, Iuliacumq; decus?
Virtuti iam finge tuæ, famæq; latebras,
Non erit impoſitâ veſte latebra tibi.
Ille tuus vultus toties in imagine ſculptus,
Proderet in Lybicis exul amœnus agris,
Me tibi ſi thalamus nunc iunxerit, inſequar vſq;
Per vitæ caſus, connubijq; fidem.
Tecum dulce mihi tenui vixiſſe ſalillo,
Et Siculas illi poſthabuiſſe dapes.
Non Theodora mihi, nec Sanctia feruida laudes
Præcerpet, ſequar & te Leonora Soſam.
Si mihi te Gvvelphum dederit ſors inuida captum
Hærebis collo ſarcina ſalua meo.
Quamcunq; in ſcenam fortuna repinxerit ora,
Hic meus ex vno ſchemate vultus erit.
In quoſcunque fides caſus te traxerit, ibo,
Te trahit vnus amor, me trahit vnus amor,
Ibo comes Comiti, Sponſoque ſerena ſereno,
Non ſtabit triſti ſtella Polona polo.

IV.

IV. CLYPEVS
NOBILITATIS *imagine inſignitus.*

CLypeus Patriæ SER.^me PRINCEPS, eſt Equeſter ordo; nec alio illuſtriori olim inſigni, quàm *Clypeo* in hunc ordinem adlectos accepimus. Apud Germanos (*Taciti* ſunt verba) *primus honor iuuentæ, ſcuto frameâq; à Principe ornari.* Salus enim Prouinciarum ſub *Nobilium* tutelâ, tanquam ſub parmâ collocata eſt. Senſit hoc robur Italia, Germania, Polonia, Hiſpania, Gallia. Percurre Chriſtiani orbis regnâ, & ſupra centum ac triginta Equeſtres Ordines cenſebis ſingulari auctoramento in Eccleſiæ defenſionem conſcriptos. Cùm enim ſanguinis nobilitas mentis habeat eminentiam, cenſuerunt maiores noſtri ab eo ordine potentius ſubſidium peti, cui ab ipſâ generis origine maiores ad virtutem impetus dati ſunt. Germani veteres, vt *Tacitus* ſcriptum fecit, Reges ſuos ex *Nobilitate* euehebant. Fuit eâ in Germaniâ ſemper tam potens, quàm illuſtris: tam generoſa, quã clara: tam fortis, quàm fœcunda; vt non inſcitè quidam Germanorũ nomen à *Nobilium* germine & virili animo traduxerint. Nec eſt vllũ Europæ regnũ quod auitam *Nobilitatem*, vel tam tenaciter cõnubijs; vel tam ſanctè ſacris honoribus; vel tam glorioſè opibus; vel tam ſplendidè potentiâ poſsideat, quàm Germania. ex ea eſt, SER.^me PRINCEPS, ille Tuus *Iuliæ, Cliuiæ, Montiũ* fulgẽtiſſimus ordo, flos Patriæ, ſpiritus Prouinciarũ, ſanguis Heroum & Procerum; qui ab ipſo *Caroli Magni* ſæculo viuit caletq; adhuc in pleriſq; tuorum familijs: veluti in ſpirantibus patriæ venis. non vt alibi, plebeio ſanguini confuſus; ſed à primo fonte ſuo purus & illibatus: qui dignitatem ſuam, non inani, & grandi nomine; ſed opibus, potentiâ, virtute metitur, & cum primis totius Europæ decertat. Habes in eâ *Nobilitate* tam generoſâ, tam illuſtri nõ modo præſidium corporis; ſed & belli neruum: non Principis ornamentum; ſed regium, ſi ita placet, ſplendorem ac Maieſtatem. Gemmam iſtam annulo Tuo incluſiſti: Illa Te ſuo equeſtri. Illa Te vt patriæ cor poſſidet: Tu vt Patriæ venis illis colligatus hæres, & ſpiritum, quem hic in patriæ ſinu accepiſti, dulciſſimè omnium ſaluti impertis: impendis honorem, & amorem pignori datum recipis. Vidimus ea nuper, quãdo è complexu omnium auulſus es: commendabat tum Pater Te *Nobilitati* vnicam ſuam prolem, Patriæ ſalutem, columen religionis, ſpem hęredis, vinculum Prouinciarum: quis tum ſenſus omnium, quod ſtudium in Te fuerit, experti ſumus, quando & animi amore; & oculi lacrymis colliqueſcere viſi ſunt.

ILle Tuus, VVilhelme decor, qui fulgidus aulæ
Affluit obſequiis, patriæ clariſsima lux eſt.
Flos regni, neruus belli, tutela clientûm,
Heroum longo demiſſus ſanguine ſanguis.
Pertenta venas: generoſos exige ferro
Igniculos mentis, Carolinis feruere cernes
Æſtibus, & priſcum belli reuireſcere robur.
Aude aliquid validâ ſimul increſcente iuuentâ
Moliri, ſupera iam procumbentia fata.
Tibia non ſemper cantu Thalaſsia feſtum
Accendet thalamum, teneroſq; Hymenæus amores.
Ecce vltrix Bellona tubas inflare parata,
Si modo facundos thalamos verbena coronet.
Mars & Hymen lituos Clypeosq; , Philippe, ſecundis
Mutabunt vicibus, magna hortamenta Philippo
Fama Palatino attollit, Tecumque renata
Odryſias reuocat clades, paribusq; laceſſens
Fortunam auſpiciis, audet par condere nomen.
Et Tua non ſegnis ſequitur virtutibus ætas,
Ad tam grande decus, neque tantis auſibus impar
Fortunæque animus deerit: ſi fræna potito
Imperij, liceat factis laxare calores.
Quid non ſub tanto conari Principe fas eſt
Nobilitas, poterítne reſes deſidere virtus:
Et viuax veſtris iucluſus ſanguinis ardor
Non eluctari venis, patriæqúe ruinam
Inſtaurare armis? illa olim Iulia florens,
Iam ſpolium eſt. Montes late populatur Enyo
Hoſtica: quot Cliui circumſpexêre fauillas?
Menapiuſne calet ſanguis, victrixque Sicambri
Dextera? quæ toties laſſauit Cæſaris arma,
Neruia iam virtus eneruis procubuit vi?
Sic patriæ exequias, exarmatumqúe leonem
Spectemus ſaturi bello, ſaturiqúe ruinis?
Iulia non vltra iam ſpem conſume ferendo:
Sat lacrymis indulta dies. requieta retractet
Arma manus. quid non ſub tanto Principe ſperet
Preſſa ſalus, validusqúe leo, viresqúe reuincta?

V. CLYPEVS
SVBIECTARVM REGIONVM ET POPVLORVM.

Ecce quintum gentilem *Clypeum* ; & in hoc Cornu co-
piæ *Iuliæ, Montium, Cliuiæ* à Tuis effuſum populis, non
in pompæ oſtentationem ; ſed amoris debiti ſubmiſ-
ſiq; ſub tuo imperio animi teſtimonium. Fulgori ſtem-
matis Tui par eſt terrarū potentia. Splēdori nominis ab-
undantia æqua cenſeri poteſt. Ita ad copiam omnibus affluis, vt pe-
regrinis carere poſſes. Vna *Iulia* quàm ferax eſt gleba, quàm diues
& vber ſolū! de eâ gloriari potes, quod *Marcus Sapiēs* de *Siciliâ*: *Eſſe
Cellam penuariam, nutricem plebis, horreum vicinarum Prouincia-
rum, Vrbium, Populorū.* Aluit illa tot annis hac belli tempeſtate tot
exercitus: vectigalis fuit, cenſu accîſa, agro ſparſim culta, colono
diffluente, & vomere plurimo in enſem conflato. interim tamen
Cæſareus, Hiſpanus, Hollandus miles abunde frumentum expor-
tauit. Vna *Colonia* quantum non attrahit? quātum Rhenus illatum
nauigijs auehit, aduerſo ſecundoque flumine? *Iulia* tamen non ſibi
tantùm; ſed & vicinis ſufficit. Incredibile eſt, quantam frumenti
copiam, & annonam, hoſticus proximè exercitus agris infuſus paſ-
ſim intra arces & vrbes deprehenderit. Cererem iſtîc ſine cultura &
ſarculo prouenire diceres. Adde paſcua, prata, ſyluas glandiferas,
armenta, pecorumque greges, arborum multiplices fructus, vites,
fodinas, hominum induſtriam & indolem: præcelſa ingenia Muſis
perinde vt Marti nata, populorum ſtudia, frugum mercimonia, au-
ri, argentiq; in pace affluentiam. Eâdem prope fertilitate *Cliuia* ſi-
num aperit. *Montes* non eo ſunt frugum prouentu, nec terræ indo-
le; ſibi tamē abunde ſunt frumenti copiâ; cōpēſat cætera omniū ab-
undantia, & altiliū multitudo, pecoris, piſciū affluentia, fluuiorū be-
nignitas, metallorū fodinæ: mercimoniorū incredibilis induſtria, &
ligonis ſolertia fidem ſuperant. Opes hiſce bellis egeſtæ ſunt, incola
tamen ſuos montes amat, & neſcio vnde aurum argentūq; eliquet.
Animū ſi venationis oblectamento permittis, inuitant *Montiū* ſal-
tus, ſyluæ, & ferarū innumera luſtra. Rhenus piſces præſtat, quà tam
copioſè, tā longè lateq; terris Tuis perlapſus fluit. vinū torcularia ad
Rheni ripā fundunt plus, quàm Principis opulētia inſumat. quid te-
lonia, portoria, commercia hoc fluuio exercita? Adde vectigales a-
gros, cenſus, prouētus, tributa, iura, ſeruitia, munitiones, propugna-
cula, vrbes, oppida, militare robur, prouinciarum continentē ſitū,
populorum affluxum, Tuorum in te amorem. Quid ad Regiam

magnificentiam & potẽtiã deſiderabis? Aſpice *Iuliæ* Duces & bella: recenſe vires; pede illi pulſabant terram & innumera vis hominũ illicò ad arma conuolabat. Fœlix tellus, ſi ſua bona noſſet, neq; fortuna frænum preſſius adſtringeret, videres magnanimum illũ *Iuliæ* & *Montium* leonem non laſſum iam effœtumq;, ſed quouis alio valentiores armos erigere poſſe.

Clypeos ruralis ſimplicitas non iactat: Symbolam tamen ſuam omniũ ordinum gratulationi deeſſe cùm nefas ducat, Eclogam hanc paſtoralẽ Nuptiali plauſui, velut mantiſſam, adiungit.

CORYDON MÆNAPVS.

MÆnape, *delicium ruris, pecorumq; voluptas,*
Hactenus aduerſo calamos inflare ſalicto,
Et medio ſolitus diſiungere carmina Rheno,
Dic mihi, dic noſtrâ quid agis, modò, Mænape, *ripâ?*
Ante ego te vidi propiùs ſuccedere ad arcem,
Et titubante gradu, calamoque ſonante redire.
Annoſo veluti vino perfuſus. Agreſte
Nam facili potu cerebrum vertigine nobis
Diffluit: & ſtomacho illapſus liquor ille polentâ
Plus virtutis habet, lactiſq; coagula neſcit,
Sed ſubitò aſcenſu caput intricabile voluit.
Mox circumferimur gyro, fluimusque rotati
Nunc huc, nunc illuc; hic paſsim ruſticus error,
Incautas frontes ſaxis illidit acutis.
Mane vbi dilutus ſomno vapor ille cerebri,
Tum facilè & vini & lactis diſcrimina ſcimus,
Atque inſincero ſtomacho mala pocula credi.
M. *Non ita me* Corydon, Corydon *dulciſsime, vertit*
Vini intemperies. Senſus, nummoſque profuſos
Non ita diſperſi cyathis, quin ſidera ſignem.
Fortunæ tenui tenui bene conſulo potu,
Qui bene dilutus ſterili vix nupſit auenæ.
Nunc alio affudit mihi gaudia Iupiter imbre.
Audin' vt inſueto modò perſonet aula triumpho,
Et litui, curuæque tubæ, citharæque, cheleſque,
Nablia, ſiſtra, lyræ doctâ miſcentur ab arte?

Dic

Dic age, quid plauſus iſti, queîs perſtrepit aula?
C. Mænape, *túne adeò nobis vel in hoſpite Rheno es*
Hoſpes, adornatum neſcis, geniale Palanti
Et regale epulum, regis quia filia nupſit?
M. *Vnde iſthæc nobis,* Corydon, *eſt filia Regis?*
Non equidem propè nos operoſa palatia Regum.
C. *Magna* Sigiſmundi *ſoboles longinqua remotis*
Sarmaticisq; oris magnum venit incrementum
Iuliacæ ſtirpis, coniuxq; futura Palanti.
M. *Quo non porrigimur nuptiis? tam diſsita terris*
Quæritur in thalamum Virgo? quàm ruſtica fœlix
Conditio eſt thalami! nobis vt caulis in horto,
Sic ſponſæ in villis naſcuntur. poſtea tam ſunt
Fœcundæ fœtu, quàm fœta eſt glandibus ilex.
Et tam robuſti pueri, quam quernea ligna.
Rari ſunt Priami *Reges, nos prole beati;*
Vt conchis terra rediens peregrinus Iberâ.
Sæpe domique foriſq; pari grege paſcimus agnos.
Non opus eſt grandi dote: Annulus ære coruſcus
Calloſo inſeritur digito, fuſuſq; coluſq;
Additur, & tonſo decurrens bucula campo:
Demum verſicolor veſtis, tum ſponſa parata eſt.
Et ſine Pontifice ad pultem farracia fiunt.
Poſt ſequitur quocunq; trahis, viliſque ſupellex
Eſt in amore ſatis: quid ſignatoribus arrha
Indiget, & certos alijs committere amores?
C. *Hæc Germana fides veteri ſic tranſijt vſu*
Nobis, at magnæ quid agant ſponſoribus aulæ;
Quoúe torum ritu iungant, quas ſegrege terrâ
Sanguinis inquirant venas, ô Mænape, *non eſt*
Rimari noſtrum, patrium queis ſtemma Bouili
Clauditur, atque vltra ſoleam vix longius exit
Ingenium, noſtro hoc ſiſtat ſapientia circo.
Hoc ſcio, non adeo procul eſt hæc ſponſa Palanti
Sanguine, quàm procul eſt terris quæſita remotis.
Delicium Regni eſt, non illi lilia certant,
Virgineo candore ſuo, non alba liguſtra,
Non roſa, non violæ, pulcherq; amaranthus amoris.
Alcinoi flos ille hortis, vel Adonidis inter
Creuerit illecebras, quem nulla niualis ab arcto

Bruma ſuperfuſo perſtrinxerit imbre rigentem.
Sunt alij Regum flores, aliiq; ſeruntur
Horti ſeminibus; nos bulbos ſcimus & vluam,
Et cithyſum, & caules, lappasq;, ſatumq; papauer.

M. *Quid nunc, ô* Corydon, *ad tanta Palantius heros?*

C. *Deſiſte hîc vltra mirantem vrgere rogando.*
Nil toto perhibent Rheno conſpectius vſquam
Indulgeri oculis, ſic florentiſsimus omnes
Anteit ingenio, formâ, virtutibus, arte.
Illius aſpectu ciuis ſua gaudia paſcit,
Illius alloquio ſolatur aratra colonus.
Sit ſatis hoc. Nunc ſi quid habet tua fiſtula ſucci
Lætitiæq; infla, patriæq; affunde ſaluti.
Iam tranquilla dies, & preſsi copia lactis.
Iam ſegetis veniet lætiſsima meſsis in agro.

M. *O mihi ſi dulces geniali Iupiter imbre*
In calamos plueret, quàm blando hæc canna ſonaret
Carmine: cantores paſcit dulcedo liquorum,
Vt fluuij ſalices, & lætos humor hibiſcos.
Carmina proueniunt vino madefacta ſereno.

C. *Quò te vana ſitis! nobis, ô* Mænape, *abunde eſt,*
Si pultem flauus circumdet margo butyri,
Si multos oculos habeat farcimen, & vnum
Piſa, natentq; ſuâ fluidæ pinguedine pernæ;
Si pinguis lardi bona cingat oluſcula ſpira,
Hortenſesq; dapes cum lactis flore coronet
Ruricolæ menſam; paucis gens ruſtica viuit;
Et contenta ſuis viuit, ſi pace fruatur.
Iam nobis redeunt Saturnia, Mænape, *ſæclâ.*
Aſpice, venturo lætentur vt omnia Sponſo.

M. *O mihi tam longæ maneat pars vltima vitæ,*
Vt videam hos annos ductos meliore metallo!

C. *Si quid habet læti tua fiſtula,* Mænape, *plauſus,*
Excipe ab alternis mea carmina agreſtia Muſis,
Hîc vbi ſub quercu diuerberat aura calores.

M. *Noſtra quid obſtrepero Syrinx animata ſonore*
Ad tantos faciet patriæ exultantis honores?

C. *Húc omnes ouium reges, pecorumq; magiſtros*
Iuliacis *ſparſos agris, &* Montibus *altis,*
Et cultis alibi Cliuis *cogamus in vnum;*

Vt

Vt tantos celebrent læto pæane triumphos.
M. *Lætitiam ſed enim quis tot diffundet in oras?*
C. *Dum nos cum gregibus ſinuoſæ in margine ripæ*
Sectamur facili creſcentia gramina ductu,
Lætitia hæc noſtros facile eſt vulgata per agros.
M. *Vix equidem credo; neque enim vox hactenus vlla*
Auribus eſt allapſa, boni mihi nuncia tanti.
C. *Quid mirum vaſtis cum ſoli erremus in aruis,*
Vrbica, & aularum neſciri gaudia nobis?
M. *Dic tamen, vnde putas impleuit Nuncius vrbes?*
C. *Dicam equidem, nec vanus ero, mihi credito vates.*
Fortaßis vitreis vbi Viſtula *lætior vndis*
Sarmaticas *ſcindit terras (namque inde triumphi*
Principium, noſtræque datur noua gloria terræ:)
Lætitiâ patriæ excîtæ ſonuêre procellæ,
Gaudiaqúe Oceano intulerunt; qui latiùs inde
Fluctibus ingreſſus, reſonantes vndique plauſus
Multiplicans, trifidi manarit ad oſtia Rheni,
Cornuaque implêrit magni Patris omnia; & illud
Quod commune Moſæ, *dubiis permiſcuit vndis:*
Littoreoſque Deos, fluuioſque, amneſque colentes
Iuſſerit excîtos feſto reſonare ſuſurro:
Qui deîn repentes aduerſo flumine retro
Gaudia miſcuerint riuis, vbi protinus alueô
Rura *ſuo egrediens, per vaſtos diſtulit agros*
Lætitiam; meruitque ſuum Moniauia *nomen:*
Nidecka *accinuit, molli quoque flumine* Dura
Inſonuit, ſonitum ſunt Iulia caſtra *ſecuta.*
Hinc ſe Linnichiæ *affudit, dein* Montis aquoſo
Colli, Heinſbergiacas *vbi mouit carmine Muſas.*
Ruram *etiam biberit ſinuoſo* VVormius *ore,*
Et Randenradij, Geilenkirchæq; *Camœnis*
Et muris Grani, regnoq; *relapſus* Aquenſi.
At Moſa, *communi qui gaudia combibit ore*
Cum Rheno *exiliens, quàm te* Sittardia *mouit?*
Teuderium *plauſus cum* Bruga Mille *dederunt,*
Süſtrenam *&* Vügtam *tanti attonuêre triumphi.*
Lætius effudit ſolito, Rheni *excita plauſu*
Erfta *paludoſas vrnas, iunciſq; comatas.*
Berchemiam *mouit*, Caſtrumq; à Caſtore *dictum,*

Eifflia-

Eiffliacaſque *leui comploſit murmure ripas:*
*Et G*labros-amnes *&* Valles Nerſia *traxit.*
Regiomagenſes *liquidis magis alluit* Ara
Sinſigiosq; *vadis &* Heimerſchemia *rura.*
Siga *deinde ſuos, & mouit* VVippera Montes,
Hos etiam & Marckam Rurali *in flumine Nympha,*
Duſſelaq; *exilijt refluentibus altior vndis.*
Rara etiam Cliuis *fluxerunt gaudia, pleno*
Rhenus *ei acceptos, vbi plauſus reddidit ore:*
Atq; ita perfluxit natiuas flumine terras
Lætitia exundans, & læta voce liqueſcunt,
Quas regit Imperio, frænatq; Palantius æquo:
M. *Amplior hæc ſeges eſt, quam noſtrâ falce metatur,*
O Corydon, *pluresq; vocant noua gaudia teſtes.*
Quod tenui ſonitu, & gracili modulamur auenâ
Vt placeat, ſupra meritum cadit, vndiq; quamuis
Conueniant quotquot cannâ donauit Apollo.
Et litui, & feſtus clangor, ſonituſq; tubarum
Agreſtes merito prohibebunt carmine Muſas.
Non tamen hoc vno prohibebunt carmine cannam,
Quo Nuptis plaudit, quo riuos omine claudit.

OMEN CHRONOGRAPHICVM.

ConſtabIt Certe nVnC paX ö IVLIa teLLVs,
qVanDo hoDIe ſponſa eſt ConstantIa nVpta phILIppo.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Ex Typographia Henrici Krafft ſub ſigno Solis,
ANNO M. DC. XLII.

Lisa & Leonard Baskin